DE HISTORIA, EIVSQVE VIRTVTIBVS, ET VSV, DISSERTATIVNCVLA.

HISTORIAE *nomen* (*si Græcæ originis vim spectemus*) *non tantum rerum gestarum, sed quarumlibet rerum narrationem expositionemque significat. Vnde Aristoteles eos libros quibus ingenia & naturas animalium persequutus est, recte* HISTORIAM ANIMALIVM *vocauit: sic Theophrastus Historiam Stirpium; sic Cicero Plinius libros suos* Naturalis Historiæ *inscripsit: quod in his rerum naturæ simpliciter tantum ex-*

Historia in genere quid.

ponantur) nulla vero præcepta aut disciplinæ tradantur.

Est vero Historiæ, pro subiecti ratione, triplex genus, Humanum, Naturale, Diuinum. *Primum actiones hominis vitam in societate agentis explicat: secundum res in Natura positas; tertium præpotẽtis Dei animorumque immortalium in se collectam vim ac potestatẽ intuetur. Ex quibus assensio triplex oritur:* Probabilis, Necessaria, Religiosa. *totidemq́; virtutes:* Prudentia, Sciẽtia, Religio. *vna quidem* turpe ab honesto, vtile ab inutili; *altera* verum à falso; *tertia* pietatem ab impietate *diuidit. Primam ex*

Quotuplex.

im-

imperio rationis & rerũ agendarũ vſu, humanæ vitę moderatricem *vocant; alteram ex abditarum cauſſarũ inquiſitione*, rerum omnium inuentricem; *poſtremã ex vnius Dei cultu atque amore*, vitiorum expultricem. *Ex tribus his virtutibus inter ſe cõiunctis conflatur vera* Sapientia, *ſummum hominis bonum.*

Cæterum nos hoc loco de prima tantum ſpecie agere inſtituimus de Humana *nimirum: quæ nihil aliud eſt, quam Rerum vere ac publice geſtarum Narratio, ad earum notitiam conſeruandam ac propagandam compoſita ac congeſta.* Humana quid.

Eius Materia.

Seges vel materia Historiæ sunt humanæ actiones publice gestæ, & eorum euentus: bella, paces, induciæ, federa, seditiones, tumultus, leges, iudicia, commutationes Rerumpublicarum, & quæ sunt einsdem generis.

Inuentor.

Quis primus Historiæ Inuentor seu Auctor fuerit; variæ sunt doctorum hominum sententiæ. Macrobius libro I. Saturnal. postquam demonstrasset, rudes illos ac feros homines à Saturno primum ad communis vitæ cultum ac morum elegātiam traductos, auctor est, ex eo tempore facta illustria ac res memoria dignas annotari cœpisse. Eam etiam ob caussam à Romanis in Saturni æde Tritones quos-

dam collocatos fuisse, caudis humi defixis, manibus vero tubas gestantes: quo innuatur, sicut ante Saturni tempora omnia profunda obliuione sepulta iacuerint; ita postea doctorum hominum præconijs celebrata ac per orbem diuulgata esse. Plinius libro VII. Cadmum Milesium primum Historiæ auctorem facit. At Iosephus ait, hunc inter Græcos tantùm primum fuisse: eam vero laudem AEgyptijs tribuit. Eusebius Moysem affirmat primum res litteris consignasse. Alij volunt Abrahamum Patriarcham Mundi creati, & rerum ad ipsius vsque tempora gestarum historiam conscripsisse:

quam deinde Moses suis scriptis inseruerit. Non desunt qui ad ipsum usq; Noam historiæ referunt originem. Alij Nini Babyloniorum regis tēporibus, qui vixit octingentis ante bellum Troianum annis, Historiæ nomen primum frequentari cœptum scribunt. Quidquid sit, non absimilis vero est eorum forte sententia, qui existimant, primis illis temporibus rèrum memoriam tàm maiorum quasi per manus traditione, quam notis hieroglyphicis conseruari solitam, donec unà cum characterum seu litterarū usu, facilior tam historiā quam quascunq; alias res conscribēdi, & ad posteros propagandi, inuenta est ratio.

Hu-

Humana historia duplex est: Communis, Propria. Hæc *vnius hominis, aut ad summũ vnius populi dicta factaq; memoratu digna complectitur. vt enim sapienter Academici rerum protritarum nullas ideas posuerunt; ita futilibus actionibus historia constare non debet.* Communis, *plurium hominũ vel ciuitatum gesta narrat. idq; bifariam. Aut enim pluriũ populorum, puta Persarum, Græcorum, AEgyptiorum. aut omnium, quorum modo res proditæ sunt; vel maxime illustriũ. quod itẽ multis modis fieri solet. Quũ vnius tẽporis, sc. diei cuiusq;, vel mẽsis vel anni (vnde* Ephemerides *seu* Diaria, *&* Annales *dicti) aut ab ortu cuiusq; ciuitatis, vel*

Communis quid.

ab extrema memoria, Rerum publicarum initia, incrementa, ſtatus, cõuerſiones, exitus, memorantur. Quod biſariam quoque fit. Breuiter, aut Copioſe. ex quo nomen habēt Chronica *&* Chronologiæ. *Alij paulo aliter. Nā Verrius Flaccus Hiſtoriam diffuſam narrationem vocat, in qua rerum perſonarum, locorum momenta ponderantur ab eo qui interfuit (quam definitionem Muretus in Oratione quadam breuiter refutat)* Annales *vero à Cicerone dicuntur, quum ſine vllis ornamentis, ſine anxia cauſſarum diſquiſitione, geſta cuiuſque anni exponuntur.* Erat, *inquit Cicero,* Hiſtoria nihil aliud niſi

Hiſtoriæ finitio.

An-

Annalium confectio. *Diaria siue Ephemerides, diei cuiusque gesta, Asellio apud Agellium interpretatur.* Fasti *vero, Annales sunt in quibus res quæque memorabiles, magistratus maximi, clarißimæ victoriæ, clades, triumphi, ludi sæculares breuißime continentur. Et horum quidem cōficiendorum munus Pontificibus Maximis incumbebat, vsque ad Publij Mutij tempora. Non ignoro ab alijs alias quoque afferri diuisiones, ab Isidoro præsertim: sed quia fere extra oleas illi vagantur, omißis circa hoc subtilitatibus, quæ magis ad institutum nostrum faciunt persequamur.* Fasti.

Historiæ iucunditas

De voluptate seu suauitate, quæ ex historiarum lectione percipitur, superuacaneũ est disserere, quum id de suo quisq. sensu iudicare facile possit. Grauiter tamen hic errant nõ nulli, qui tantum nescio quam inanem voluptatem hic quærunt, nec medullam, sed corticẽ degustant; quum potius ad altiora penetrandum sit. Nec enim ideo legendæ sunt historiæ vt admirabilium rerũ narratione variorũ euentuum, velut coloribus quibusdam variegata animum oblectes: sed in singulis notandæ sunt caussæ, cur hoc potius quam illo modo res successerit, occasiones, consilia, effectus, vnius postulata, illius responsa; vnius simplicitas, al-

Quæ potissimum noanda.

terius

terius vafrities, opinionũ varietas, finis seu scopus singularum actionum & consiliorum quidquid denique animo ad prudentiam erudiendo aptum est.

Ex continuo eiusmodi exercitio habitus quidã practicus in animo generatur, vt quis nõ solum de quacumque re sub manibus nata prudenter disserere, verum etiam sapienter iudicare, ac salutare consiliũ, perpensis omnibus circumstantiis, dare possit: ac multo certius ac melius, quã qui omnem vitam in Philosophorum præceptis contriuit. Hi enim primas rerum caussas inquirũt, & in præceptis communibus latissimeque patentibus occu-

Vtilitas præcipua Historiæ.

Delibera-tio circa quæ verse-tur.

pantur: singula non fere consi-derant. Omnis autem actio omnisque deliberatio singulis in rebus versatur. Non enim quisquam vnquam num bel-lum gerendum foret, sed num sibi, num aduersus illum, num hoc tempore, num hoc modo gerendum foret, deliberauit. Vnde facile apparet, ad con-sultandum meliorem illum es-se qui multa eiusdem generis singularia in historijs adhibi-to iudicio notauerit, quam ex Philosophorum scriptis com-munia tantum quædam præ-cepta cognorit. Quanquam e-nim non certa quadam ac im-mutabili serie res humanæ voluuntur, magnaque earum varietas & inconstantia est,

vt

vt hoc ipsum, quemadmodum dicebat Agatho, veri similesit, multa præter id quod verisimile est, euenire: plerumq; tamē è similibus similia exsistunt, neque vlla certior est regula iudicandi quò quæque res euasura sit, quam inspicere quem exitum similia in temporis longinquitate sæpius ac frequentius habuerint. Quod si aut temporis hominibus ad viuendum concessi breuitas, aut ipsa vitæ ratio pateretur, vt idem homo multa sæcula, integra mente, integrisque sensibus, vixisset, multas prouincias obiisset, ad intimas Principum virorum de grauissimis rebus consultationes frequenter adhibitus

Coniectura vnde sumenda.

esset, omnium sententias audijsset, rationum quibus quisq; niteretur pondera ac momēta diligenter expendisset, obseruasset postea & notasset diligēter quid ex quo consequutū esset: quis non incredibilem quandam in eo vim consilij vigere crederet? quis nō eius sententiam de rebus gerendis in oraculi propemodum loco ac numero habendam fateretur? Atqui quod Natura nobis denegauit, præstat Historia; vt qui eam multum ac diligenter peruolutarunt, omnibus ætatibus vixisse, omnes regiones perlustrasse, omnibus publicis consilijs interfuisse, omnia quæ vnquā cōtigerūt præsentes spectasse atq; annotasse videantur

Quare

Quare etsi Historiam multi veris atque ipsi proprijs laudibus exornarunt, nemo tamen verius ac melius quam qui Vitæ magistram *appellauit. nam ea vox omnes omniũ virtutum ac disciplinarum vtilitates amplexa, significat hominum vitam vniuersam ad sacras Historiæ leges, velut ad Polycleti normam, dirigi oportere. Certe Philosophia, quæ ipsa* vitæ dux *appellatur, propositis bonorum ac malorum finibus, intermortua iaceret, nisi ad rerum præteritarum historias omnia dicta, facta, & consilia reuocarentur; ex quibus non solum præsentia commode explicantur, sed etiam*

Historia vitæ Magistra.

Philosophiæ Moralis directrix.

futura

futura, vti dictum est, colliguntur, certißimaque rerum expetendarum ac fugiendarum præcepta conflantur: vt sic Historia nihil aliud sit, quam Philosophia Moralis, in agendo posita, Regula intellectus, Arsque tam ampla, vt ambitu omnes artes & scientias complectatur. Theologiam, *Theologiam videamus; numquid eius mysteria magnam partem historijs Veteris & Noui Testamenti continentur?* Iurisprudentiam, *Iurisprudentiam? Vnde illa conflata est nisi ex Edictis ac Rescriptis Principum, Sapientum Responsis, Plebiscitis, Senatusconsultis, Legibus? quæ ad Historiam omnia pertinent.* Medicinã *Medicinæ certe vis pæne tota*

in Plantarum, herbarum, mineralium, liquorum, & ex iis mistorum ac compositorum historia consistit: ut huius unius cognitione doctus quis ac sapiens euadere; sine ea vero ne umbram quidem veræ sapientiæ assequi possit. cōplectitur.

Cicero, Historia est, *inquit,* lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis: *quorum elogiorum singula tanta sunt, ut vel unum ad summam Historiæ tam utilitatem quam dignitatem indicandam satis sit. Certe Ægyptius quidam Sacerdos apud Platonem Soloni dixisse fertur, semper pueros esse qui historiarum, seu præteritarum rerum cognitione* Elogium Historiæ.

careant. quo quid illustrius esse potest ad Historiæ demonstrandam necessitatem. Hæc enim vna est, vt recte Polybius ait, verissima discplina exercitatioque ad res Ciuiles. *Hæc ostendit, quomodo fortuna aduersa ferenda, prospera moderanda; quomodo temporibus obsecundandum; quomodo ingrata dissimulanda, affectus premendi, omnia deniq. ita agenda sint, vt & nobis & alijs, inprimis patriæ recte consulamus. In hac tibi fas (Plutarchū audis) tamquā in speculo ornare & componere vitā tuam ad alienas virtutes. Hanc Leoni futuro Principi Basilius Pater iā Princeps his verbis cōmendat:* Per historias veteres ire

ne recusa. Ibi enim reperies sine labore quæ alij cũ labore collegerũt; atq; illinc disces & bonorũ virtutes, & improborũ vitia, vitæ humanæ varias mutationes, & rerũ in ea cõuersiones, Mũdi huius instabilitatẽ, & Imperiorũ præcipites casus. Et vt verbo cõplectar, malorũ facinorũ pœnas, & bonorũ prȩmia; quorum illa fugies, ne in diuinæ Iustitię manus incidas; hæc amplecteris, vt præmijs quæ ea comitantur potiaris.

Superest vt quas virtutes proba Historia habere debeat, ostendamus; sed quia abunde hoc magnus vir in Politicis suis Virtutes Historiæ.

præſtitit, nos paucis rem complectemur.

Italicus, quem hic magna ex parte ſequuti ſumus, libellus decem ponit: Veritatem, Methodum, Menſuram, Ornatum, Grauitatem, Perſpicuitatem, Elegantiam, Subtilitatem, Honeſtatem, Decorum. *Ad* Veritatem, *idem inquit, pertinet, vt res omnes etiam minimæ fidedignis teſtimonijs probentur; de his vero iudicium Lectori relinquatur.* Methodus *requirit, vt non modo Hiſtoria vniuerſa, ſed & omnes eius partes conuenienti ſint ordine diſpoſitæ.* Menſura *ſeu* Proportio *principium, medium & finem concernit, vt ſcilicet pri-*

Veritas.

Methodus

Menſura.

ma mediĳs, & media extremis respondeant, nihilque superfluum, nihil etiam nimis concisum sit. Per Ornatum *intelligitur lumen sententiarum ac verborum, quò præcipuè pertinent interspersæ Orationes magnorum virorum.* Grauitatis *est, res ita narrare, vt nullum vanitatis indicium se prodat, nec in minutĳs rerum aut quisquilĳs persequendis immoretur oratio.* Perspicuitas *tam à rebus quam à verbis omnem excludit ambiguitatem, omniaque verbis quidem nitidis ac politis, minime tamen affectatis aut exoletis, multo minus (nisi communis vsus suadeat) de nouo cōfictis, sine vllis ænigmatis, aut intri-*

Ornatus.

Grauitas.

Perspicuitas.

catis periodorum circumdu-ctionibus exponit. Elegantia *maxime in stylo, id est, non modo singulis verbis, sed eorum quoque conformatione ac tota orationis structura apparet; vt scilicet ea neque lenociniis ac deliciis diffluat, neque stribiligine quadam, vt ita loquar, horreat: in vniuersum, vt oratio rei par seu æqualis sit.* Subtilitas *nõ tam à rebus quam à Scriptore est, vt nempe in rebus dubiis & obscuris lumen velut Lectori præferat, & cauta oratione tanquam digitum ad rerum occultarum caussas intendat. Ad* Honestatem *pertinet, nihil ex affectu vel vtilitatis spe scribere aut reticere; tum omnes voces quibus honestæ*

Elegantia.

Subtilitas.

Honestas.

aures offendi possent, tãquam scopulũ vitare. Decoro *denique superiora illa fere omnia includũtur: vt quod nihil aliud sit quàm decẽs quædã & totius corporis Historici ad partes, & partium inter se compositio ac structura. Specialius tamen hoc nomine illud intelligimus, de quo Horatius dicit, multũ interesse* Dauusne loquatur an Heros: *quo nomine etiã Bodinus Iouiũ irridet, decorũ itæ confundentem, vt imperiti milites ipsius, declamatores Scholastici esse videantur.*

Decorum.

Hæc quidẽ libelli istius quem diximus, concinnator nõ inepte. Quæ tamẽ omnia (quãtum quidem ad boni Historici munus pertinet) multo breuius ac neruosius vir magnus I. Li[p]sius

in Notis ad Politica absoluit.

1. Nota Veritas. *Primam Notam, inquit (probæ videlicet Historiæ)* Veritatem *esse, vt nempe res euentusque omnes puriter atque ex fide narret; nec quidquam ex vano haustum ponat. Hanc vero virtutem raram admodum esse: quum plerique magis ad gratiam quam veritatem scribant; adeoque fidem erga Principem aut Rempublicam existimet, narrare aliquid non ex fide. At sine hac quid, quæso, Historia aliud quam mortuum cadauer, aut cæcus truncus? qualis profecto nec te nec actiones tuas firmiter vnquam diriget.*

2. Explanatio. *Alteram Notam esse ait,* Explanationem: *vt rem sci-*

Quid petissimum in legendis Historijs spectandum & considerandum.

Ex Polybij libro III.

Ab Historia si quis auferat, Quare, Quomodo, Quo fine *quidque sit actum*, *&* An satis commodum euentum habuerit: *Quidquid in ea reliqui id ludicrum magis erit quam doctrina: & in præsentia iucunditatis fortasse aliquid, in posterum vero nullam prorsus ad vitam afferet vtilitatem.*

EX DIODORI SICVLI Prooemio in suam Bibliothecam.

MAgnas merito gratias rerum scriptoribus debent homines, qui suo labore plurimum vitæ mortalium profuerunt. Ostendunt enim legentibus ex præteritorum exemplis, quid sit appetendum quidve fugiendũ. Nam multa illa experimenta rerum, quæ varijs cum laboribus periculisque, ipsi procul ab omni discrimine positi, gesta legimus, nos admonent maxime quid conferat ad degendam vitam. Cognitio igitur ex aliorum tum secundis tum aduersis rebus percepta,

doctrinam habet valde necessariam. Pulcrum est enim ex aliorum erratis in melius instituere vitam nostram, & non tam quid alij egerint quærere, quam quod optime ab ijs actum sit nobis proponere ad imitandum. Seniorum consilia, quos longa ætas prudentiores effecit, laudantur. At hos tanto antecellit Historia, quanto plura rerum exempla complectitur diuturnitas temporis quam hominis ætas. Itaque ad vitæ institutionem resque præclare gerendas vtilißima censenda est Historia.

MONITA QVÆDAM POLITICA, E Guicciardini Historia & alijs excerpta.

1. PRinceps qui per Legatum suum alium Principem cupit fallere, necesse est suum vt ipse Legatum prius fallat Hic enim persuasum habens, à Principe suo id quod agitur seriò agi, in eo perficiendo omnibus viribus elaborabit: econtra si sciat simulato tantum, &, quod dici solet, dicis gratia ista fieri, operam suam tam scite atque alacriter nequaquam commodare poterit, nec si possit volet.

Fallere *interpretamur non fidem datam fallere, sed arte quadam persuadere id, quod*

illum

illum alterũ credere è publica re sit. Quatenus vero simulatione ac Dissimulatione vti liceat, inter alios I. Lipsius cap. xiv. libr. iv. Politicorum, *disserit.*

Quum etiam res minimæ maxima sæpe habeant momenta, & effectus producant grauissimos; minima iuxtà ac maxima quæque diligenter consideranda sunt, nec quidquam quantumuis in speciem leue, negligendum est. II.

Quod Virgilius canit, III.

Facilis descensus Auerni:
Sed reuocare gradum superasque euadere ad auras,
Hoc opus hic labor est:

recte de Principatu seu libertate Reipublicæ dici potest: quę semel amissa, non facile recupe-

rantur. Quare omnia eis conseruandis opportuna præsidia & sedulo quærenda, & cupide amplectenda, & caute adhibenda sunt: ac tanto magis, quod fortunæ seu occasionis beneficia vt tarde veniunt, ita cito auolant.

IV Potentiorum iniuriæ dissimulandæ sunt. Vana enim est sine viribus ira: quibus destitutus, si nihilominus & iniuriæ sensum & vindictæ cupiditatem præ te feras, vere, quod dicitur, in maiorem tuam perniciem, crabrones excitabis.

V Vt in omni vita, sic in bello maxime, summæ prudentiæ est, nec prosperis rebus seu successibus efferri, nec aduersis deijci ac frangi. Quam multa enim incidere possunt quæ vniuersam rerum scenam circumagant, ac belli statum immutent?

Tutiſſimum ergo eſt fortunæ blandienti non fidere, nec tamen deeſſe. Nam

Fronte capillata eſt, poſtico occaſio calua.

Quemadmodum mercatoribus ac nautis euenire videmus illis quidem, vt vbi copioſam mercaturam diu longe lateque exercuerint, tandem ære diruti, foro cedant his vero, vt poſt multa enauigata maria, ad extremum naufragi pereant: ita plerique, poſt diu adminiſtrata Principis negocia & præclare geſtos magiſtratus, tandem, offenſo Principe, & fortunarum, & exiſtimationis, & vitæ ipſius incurrunt iacturam. VI.

Negotia quæ à multis tractantur, raro ad felicem perueniunt exitum. Paucis quippe ea cognita ſunt media, quibus VII.

propositum finem facile actuto assequi possint. Tum fieri non potest quin inter multos magna sit opinionũ diuersitas; quæ vti & affectuum vehementia, propriæ vtilitatis respectus, & philautia (sui ipsius amor) etiã optima consilia corrumpunt rationem opprimunt, & iam explicata etiam negocia, nedum inchoata confundunt.

VIII. Nulla quidem spernenda sunt ab hoste oblata securitatis pignora; fides, amici, promissa, sponsiones, & quæcumque talia: sed quia tanta est tam hominum quam temporum inconstantia atque malitia nihil ad securitatem tuam firmius ac tutius arbitrator, quam vel tuas res in eo collocare statu, vel hostem eò redigere, vt si vel maxime nocere tibi velit, non possit.

Iucundumquidem est spectaculum, hostem videre pedibus aduolutum, & quæuis alia subire paratum: cauendum tamen ne propterea animo efferamur, aut insolentius agamus. Quin potius idipsum nobis in memoriam reuocare debet humanarũ rerum instabilitatem, clementiamque & modestiam in victos commendare: quâ nulla virtus animo generoso ac heroico est dignior. Liuianum illud audiamus: *In secundis rebus nihil in quemquam superbe ac violenter consulere decet, nec præsenti credere Fortunæ; quum quid Vesper ferat, incertum sit.* IX.

Non minus verum quã tritum illud est. *Magistratus ostendit virum.* Hic namque X.

velut Lydius est lapis ingeniorum; quo tam virtutes quam vitia etiam in intimis animorum recessibus latentia, eliciuntur ac commonstrantur. Quocirca in magistratu positis non minus curandum est vt se ipsos quam alios regendi artem teneant; vtque quanto plus in alios possunt, tanto minus licere sibi putent.

XI. Administri nihil magis vitare debent, quam ne Principem suum vel superiores offendant. Non tamen in vitæ suæ innocentia & consiliorum atque actionum integritate ita fiduciam ponent, vt extra omnem aleam quod dici solet, positos se existiment. Vt enim fortuna quum maxime blanditur, maxime insidiatur; sic Principes sæpe tum maxime vindi-

ctam animo agitāt quum fronte ac vultu gratiam & fauorem maxime præ se ferunt: nec dissimulata diu odia prius quam opportunum videbitur, expromunt.

A natura quidem ea est insita hominum animis bonitas, vt malo voluptatis omnis atque vtilitatis experte facile neglecto, ad bonum magis sponte sua ferantur: sed quia tanta est morum corruptio, tantaque animi humani fragilitas, vt sui quisque commodi maiorem habeat quam virtutis rationem, Legumlatores duo quasi fræna hominibus imposuerunt quibus à malo ad bonum flecterentur, Præmium scilicet & Pœnam: non vt humano animo vim adferrent, sed vt monstratam ipsi à Natura & Ratio- XII.

ne viam ingrediendam monerent.

XIII. Qui cum laude prouinciam aliquam administrare, subditosque in officio continere cupit. delinquentes moderate quidem sed omnes tamen castiget. Intempestiua enim, adeoque noxia est misericordia ijs in casibus in quibus ad aliorum terrorem Iustitiæ desideratur exemplum.

AEquissimum sane est, vt

XIV. Principes Ministros gratos ac fideles omni liberalitatis ac munificentiæ genere prosequãtur; sed quia plerique eorum (si verum amamus dicere) parum fideles, atque in id vnum vt ditescant intenti sunt; & , quod pessimum est, diuites facti à Principe discedẽdi ansam quærunt. ne ergo in quemquam liberalitatem suam nimis ef-

fundat, ſed parciori aliquanto præmia diſtribuat manu, atque ita ſpe largioris remuneratione obnoxios ſibi omnes diu retineat. Summatim dicam: Ita tractet Miniſtros, vt nec nimijs opibus elati inſoleſcant, nec paupertate abiecti vileſcant,

In hac tamen re ita verſetur, vt nec ſordidus ſeu auarus, nec ingratus videatur. Quem ſcopulum facile vitabit, ſi contra poſitam modo regulã, in nonneminem aliquando inſolita vtatur beneficentia Sic enim omnibus ad idem ſperandum, animos addet. Eſt quippe ea ſpei vis, vt vnius liberaliter remunerati exemplum plus in hominum animis poſſit quam centum neglectorum. Illud namque dantis liberalitati, hoc fruſtra exſpectantium infelicitati adſcribi ſolet. X V.

Accep

XVI. Acceptorum beneficiorum facilis est obliuio; at iniuriarum memoria & sensus quasi æternus. Sed & vix vllum beneficium tantum est, quin accipiens maiori se dignum putet. Econtra omnis offensa, etiam quantulacumque sit, intolerabilis videtur. Cauebis ergo, ne in quemquam conferas beneficium, quod sit cum alterius iniuria coniunctum. Aliter nāque plus damni quam lucri feceris.

XVII In grauibus gerendis negocijs vtiliorem tibi putato eorum operam qui ad tuam opem & liberalitatem respiciunt, quam qui beneficijs iam à te onerati & quasi saturati sunt. Spes enim futuri boni tædium omne priorum laborum dispungit, & ad præsentes alacri-

tatem addit: tum docet experientia, plerosque omnes commodi sui quam existimationis vt grati inueniantur, esse studiosiores.

Verumenimuero quæ diximus non tam quid fieri debeat XVIII
quam quid fieri soleat ostendunt. Ego enim tam Principi quam alijs auctor sim, vt omnibus, quantum fieri potest, benefaciant: quum Liberalitate nulla sit virtus excelso animo dignior. ac sæpe fit, vt vnius beneficij fenore seu fructu omnium aliorum sumtus compensentur: non sine diuina, vt arbitror, dispensatione, vt homines ad beneficentiam tanto magis excitentur.

Nihil prius habeat Princeps, XIX
quam vt bonos sibi paret amicos, vt quorum vsus in vita

tam varijs casibus exposita omnino est pernecessarius. Quod consilium licet vulgare atque etiam superfluum videri alicui possit; eius tamen vtilitatē non facile quisquam intelliget, nisi qui totum hoc reipsa sit expertus.

XV Etsi sinceritas nonnumquam damnosa est; ab omnibus tamen amatur & laudatur. Simulatio econtra, licet sæpe, ob eorum quibuscum nobis res est, ingenia ac mores, sit necessaria, ab omnibus tamen vituperatur atque odio habetur. Quamuis autem ambiguum quodammodo videatur, vtra harum viarum ingredienda sit: nemo tamen opinor, virtutis paullo amantior negabit, honestius esse ac laudabilius, nihil insidiose, nihil simulate, nihil

fallaciter, sed vere ac sincere omnia agere. Nec tamen negandum, incidere aliquando casus in quibus simulatio quædam necessario sit adhibenda: quæ tanto facilius vtiliusque vsurpari potest quanto maiorem sinceritatis atque integritatis opinionem antea nacti sumus.

Nequaquam tamen eorum probo institutum, quorum omnes actiones insidijs & fraudibus plenæ sunt; sed illos tantum excusandos puto, qui cum vulpe iuncti, pariter vulpinantur, & qui tanquam in orbe aliquo Reipublicæ stãtes, eo versato, eã deligunt partem ad quã ipsos vtilitas illius salusq; conuertit. XXI.

Tritum est illud: *Si fecisti nega:* Nã ad tegẽdum quodcunq; factum nihil efficacius est cõstãti negatione q̃si omnẽ suspicionẽ XXII.

non tollit glaucoma tamen ac velut tenebras Iudicum oculis offundit, moramque in ferenda sententia obijcit. Quod quanti sit, multis exemplis intelligi potest. Recte enim Itali: *Chi hà tempo, hà vita*, id est, *Qui tẽpus habet, vitã habet.* Sed & vix vllum testimonium tam firmum est, quin vel personæ, vel circumstantiæ alicuius exceptione infirmari queat, neque ita ad amussim comparatum, quin dubium aliquod vel contrarium etiam appareat. Illud tantum caue, ne in negãdo tantum à veritate discedas, vt dissimilitudo in animo Iudicis mendacij suspicionem pariat: quod facile fiet, si ad ista iam ante prçconcepta animum afferas subactum.

XXIII. Principibus atque imperia

administrantibus nihil magis necessarium est, quam vt quæ agere instituunt, secreta habeantur: tum vt ne propalata ipsorum consilia ab alijs præueniantur, vel impediantur, tum etiam vt omnium animos suspensos teneant & incertos. Hoc enim, vbi minimum quid mouerint, varijs iudicijs ac sermonibus ansam dabunt: sicque magnam sibi Prudentiæ existimationem atque auctoritatem conciliabunt. Quamobrem ministros quoscunque ita assuefacient, vt dicenda pariter atque non dicenda silentio premant.

Sapiens ac gloriosus Princeps, Ferdinandus Aragoniæ Rex, nullum vnquam bellum suscepit, vel cuiquam indixit, cuius iustitiam non prius omnibus publico edicto propo- XXIV.

fuiſſet. Ex quo id conſequutus eſt, vt publicato bello, rationibus eius plerique omnes tamquam iuſtis aſſentirentur.

XXV. Qui Fortunam ab humanis rebus excludunt, Sapientiæque omnia tribuunt, illud ſaltim negare non poſſunt magnum eſſe Fortunæ beneficium, illis naſci temporibus quibus eę virtutes quibus ipſi excellunt, in precio habentur. Quis enim hic vel Sapientiæ vel Prudentiæ locus?

XXVI. Qui ſui tantum commodi cauſſa rebus nouis ſtudet, aut ſtatus mutationem molitur, nec ſapiens eſt, nec prudens, nec aſtutus; vt qui in eiuſmodi ſe immergat labyrinthum, è quo pauci ſalui atque incolumes euaſere, oppreſſis in ipſa herba, cum auctorum pernicie conatibus. Quod ſi vel maxime quod velit effecerit, numquam tamē quod

vult consequetur, sed conscien-
tiam suam à perpetuo verme ro
di, animumque iugi metu ac
sollicitudine, ne expulsi aliquã-
do redeant, pœnasque ab ipso
quam possunt acerbissimas exi-
gant, perturbari sentiet,

XXVII. Parum sapere mihi vide ntu, qui Gubernatorum siue quorumcumque aliorum magistratuum mutationem anxie admodum non optant modo, sed & procurant, quum parum referat à quo spolieris. Scitum est illud vetulæ Syracusanæ, Dionysio longam vitam apprecantis votum; ne scilicet peiorem se relinqueret ille successorem.

XXVIII. De eo quod non habes nó dispone; nec Spem precio eme. Hæc enim non modo sæpenumero fallit, verum etiam cupide sectantem maximis

implicat difficultatibus. Illud vero vnum tuum existima, quod in tua vnius est potestate: siquidem multa incidunt, quæ etiam id quod habere iam nobis videbamur, nobis eripiunt, & nouas insuper calamitates addunt.

XXIX. Multi quidem tam honores quã vtilitates, quas anxie desiderabãt nacti sunt; at vix quisquã in ijs quã sperabat, animi trãquillitatẽ cõsequutus est. Quin etiam nulli infeliciorem postea vitam duxerunt. Quod vnum ad nimiam tam honorum quã opum sitim atque cupiditatem in nobis extinguendam, aut saltim sedandam, satis esse debet.

XXX. Ea est hominibus innata ambitio, vt nihil præstantius putent quam sub se alios videre, & ad imperata facienda prȩsto habere

bere. Vnde fit, vt quamuis tam maiores quam minores dignitates, multis periculis, infinitis laboribus, grauibus ſuſpicionibus, capitalibus fraudibus, ac pæne ineuitabilibus inſidijs plenæ ſint, inſano nihilominus ſtudio ab omnibus expetantur. Illud nimirum boni quod in eiuſmodi honoribus eſt, prima ſtatim frõte ſe oſtendit; at quod ineſt mali, occultum latet, nec facile niſi ipſo tractatu deprehenditur.

XXX. Vetus eſt, ſed verum verbum, *Tela præuiſa minus feriunt.* Quare magna illi laude digni ſunt, quibus nihil inſolitum, nihil inexſpectatum accidere poteſt, vtpote animo iam ante ad quæuis præparato. Sic enim etiam medijs in turbis animo tran quillo erunt; & non impe-

diente consilium perturbatio-
ue, quibusvis rebus melius ac
facilius prospicient, & oppor-
tuna afferent remedia.

XXXI. Cum ætate auarititiam quoq;
crescere experientia testatur:
Quo quid absurdius, quã quan-
to minus viæ restat, tanto plus
viatici quærere? Caussas huius
rei alij alias afferunt: ego hanc
veram esse puto; quod quanto
diutius vitam protrahit homo,
tanto melius quæ ad eam susten
tãdam necessaria sunt intelligit
eoq; vnice illa expetit; ac tan to
magis, quanto certius sibi alia
rum voluptatum fructu pri-
uato, tum etiam imbecillitatis
suæ sibi conscio, in his præsi-
dium paratum nouit. Hinc vi-
demus plerosque etiam maxi-
me ætate prouectos, multis-
que affectos incommodis sum-

mo

mo longioris vitæ teneri desiderio, nec quidquam magis quam mortem exhorrescere, ad quam tamen velut ad portum ac metam omnium miseriarum anhelare debebant. Sed multo illi deteriores, qui iam senes annis, vitia non deserunt, quum tamen ab ipsis deserantur: quibus nihil ineptius, nihil monstruosius, nihil etiam miserius dici potest.

Vulgatus est versiculus: XXXII.

De male quæsitis non gaudet tertius hæres.

Nec minus tritum illud: *Male parta, male dilabuntur.* Id eò fieri nonnulli dicunt, quod quanto quid maiori cum labore acquisitum est, tãto maioris à nobis fieri soleat; quum econtra quæ sine vllo sudore

quaſi fortuito obueniunt, vili pendantur. At veriſſimum eſſe, Numum inde vbi in precio non habetur, Pegaſo citius auolare, Quæ tamen ratio nimis generalis eſt vt quæ omnibus bonis aliena induſtria, etiam bene partis, vel hæreditate acquiſitis accommodari poſſit. De quibus in vniuerſum id dicere quum falſum ſit, recte colligimus, iuſto illud Dei iudicio fieri, maiorum flagitia etiam in heredibus vel ſero punientis.

XXXIII. Vxorem habendi ac liberos procreandi deſiderium vt naturale, ita minime malum eſt. Res tamen huius Mundi inſpicienti felicior ille videbitur qui iſta non habet. Quod ſi enim qui filios habent morigeros ac bonos, in ijs tamen educandis tantum laboris ſumunt vt vna

ex

ex alia cura ſuperueniat, animique tranquillitatem interpellet: quam conditionem eorum eſſe exiſtimandum eſt, quibus tam vxor quam liberi peruerſi ac contumaces obtigerunt.

XXXIV. Quamuis adminiſtrandæ Iuſtitiæ apud Turcas ratio præceps quodammodo ſit & periculoſa, qua ſcilicet quaſi è veſtigio ſententię & pronunciantur & exſequutioni mandãtur: non immerito tamen dubitari poſſit, an noſtræ iudiciorum conſuetudini debeat præferri. Nam præterquam quod credibile eſt vel ſemiſſem ſaltim cauſſarum recte atque ex æquo & bono iudicari; illud quanti eſt, quod matura deciſione partes & curis, & laboribus, & tam opum quam temporis iactura leuantur ac liberãtur; quæ apud nos

protractis in longum litibus, in infinitum quasi procedunt atque excrescunt: vt multis satius fuerit principio statim caussa cadere, quam maximis impensis ius suum persequi. Vt nihil dicam, quod vel hominum malitiâ, vel iudicis ignorantiá, vel ambiguâ legum interpretatione ius sæpe peruertitur, & iniustum pro iusto, & econtra pronunciatur.

XXXV. Errant vehementer, atque etiam perniciose, qui existimãt, in ijs casibus quibus leges Iudici arbitrium deferunt, licere eidem pro arbitrio quod velit pronunciare. Neque enim absolutam illæ potestatem iudicandi concedunt; sed tantum quia tam variæ sunt rerum ac casuum circumstantiæ, vt certi quid definiri aut præscribi non

possit, Iudicis conscientiæ, ac prudentiæ, quid iustum, vel iniustum, quid æquum, vel inæquum, dijudicandum permittunt. Etsi enim lex eo in casu Iudicem non obstringit, tamen nec conscientiæ nexu absoluit, vel iniuste agendi arbitrium legitur.

Solent Ministri (nec forte iniuria, modo fidelitatem ne violent) vbi Principibus vel dominis negligi se, & alios leuibus de caussis odio vel inuidia onerari, alios etiam plane expelli senserint, suis ipsi commodis tãto diligentius inuigilare, & alias occasiones quærere. Vnde quũ dominis non leuia exsistere possint incommoda, dabunt operam vt, quantum in ipsis est, neminem Ministrorum operæ suæ pœniteat, sed vt XXXVI.

 om-

omnes, pro suo quisque officio & persona, minime ingratis seruire se intelligant.

XXVII. Est quiddam in nonnullis rebus tam abstrusum atque occultum, vt nulla ingenij quantumuis perspicacis vi indagari, sed sola experientia deprehendi possit. Quocirca non tam ingenio quam multarum rerum vsu ac tractatione Prudentia comparatur.

XXVIII. Populo magis placet in Principe prodigalitas quam auaritia; sed, vti videri alicui possit, contra rationem. Prodigus enim vbi omnia effuderit, tandem necessitate constringetur subditos nouis exactionibus grauandi & rapinis vel alijs artibus expilandi: tenaci econtra de suo satis est vnde faciat sumtus. Sed & multo plures

ſunt qui immodicis Principis largitionibus læduntur quam qui iuuantur. Quę ergo cauſa eſt præpoſteri illius iudicij ſiue opinionis? Hæc nimirum, quod ad ſpem pronior eſt hominis animus quam ad timorem: eóque plures ſunt qui beneficium aliquod à Principe ſperent, quàm qui exactiones timeant.

XXXIX.

Omnibus modis curandum eſt vt fratrum in primis, cognatorum & amicorum beneuolentiam conſeruemus, eorumque honores & commoda, etiam cum noſtro aliquando incommodo, promoueamus; ſicque ex amicis, amiciores faciamus. Id enim quam vtile ſit, vix ſatis, niſi experiundo, intelligi poteſt.

XL.

In imperio vel dignitate ali-

qua positis aliquanto plus concesso vsurpare licet. Non enim populus adeo anxie examinat quousque illa imperij extendatur potestas; quin etiam vltro sępe multa facit quæ nulla ratione eis imperari possunt.

XLI, Etiam mali, boni videri; & quum male faciant, bene audire volunt. At tu si bonus haberi velis, bonus esto. Nihil enim simulatum diuturnum.

XLIII Sunt qui sibi persuadent, primo statim quasi intuitu se non minus quam morosiori contemplatione, in rei alicuius cognitionem venturos. Sed imperitia sua falluntur: quum verissimum sit, curas seu considerationes posteriores sapientiores esse prioribus.

XLIII Vt nulla rei quæ placet agen-

dæ occaſio negligenda , ita quod diſplicet negociū quamdiu fieri poteſt, procraſtinandum eſt : dum forte tempus interea noui aliquid apportet, teque moleſtia illa liberet.

XLIV. Sunt nonnulli ita confidentes vt quidquid ſomniant iam manibus ſe tenere putent; econtra alij tam ſcrupuloſi ac dubij, vt etiam facilia non prius ſibi promittant quam voti compotes euaſerint. Et hi quidem ad res agendas illis magis ſunt idonei, ſiquidem melius eſt ac tutius, nimis eſſe ſollicitum, quam nimis confidentem. Nimia enim confidentia remiſſos facit; ſollicitudo attentos & indefeſſos. Sed & magis torquetur qui rei quaſi certæ euentu defraudatur, quam qui id quod accidit,

accidere posse, iam ante rationes subduxit.

E tripode illud dictum arbitror,

Ducunt volentes fata, nolentes trahunt.

Historias lege; consule experientiam; tempora inspice: mecum, scio, senties.

XLVI. Incredibile est quanta in Tyrannis sit vigilantia, quanta sollicitudo in eorum quos oppresserunt non modo obseruandis actionibus, verum etiam cogitationibus inuestigandis In quo mille vtuntur artibus. Iam cum his, iam cum illis sermones miscent; quæstiones proponunt & dubia; per ambages & veluti cuniculos animis obrepunt: numquam dicunt quod faciunt, nec faciunt quod dicunt: noua à seipsis

confi-

conficta in vulgus ſpargi curant: vera pro falſis; falſa pro veris obtrudunt: in multis rebus conſilia exquirunt, non vt ad ſuã ſalutem, ſed ad conſulentis perniciem vtantur: nihil denique intentatum relinquunt vt hominum cogitationes & intima ſenſa expiſcentur. Quare cum ipſo Tyranno (ſi neceſſe ſit. aliter enim non modo omnem eius ſermonem, ſed etiam conſpectum fugiendum cẽſeam) & cum alijs loquens tam verba quam actionem & geſtus ita comparabis, vt non ſolum nulla ſuſpicio, ſed ne vmbra quidem ſuſpicionis appareat. Neque hic cuiquam fide; ſed in quocunque tecum conuerſante præſentem tibi Tyrannum finge.

Magnis viris, qui ſub Ty- XLVII.

ranni viuunt imperio, vtilius dari consilium nõ potest, quam vt voluntarium eligant exsiliũ. Si tamen Tyrannus, vel propria ductus prudentia, vel necessitate coactus, modestius aliquando & mitius agat, in patria manere poterunt, ita tamen se gerent, vt pro viris fortibus quidem ac prudentibus, publicæ tamen quietis amantibus habeantur. Grati enim Tyrannis tales sunt, vt quos ad subditos vel continendos, vel neuariũ rerum molitienẽ excitandos, multum posse sciunt. Quos si præsentem rerum statum ægre ferre vel leuiter suspicentur, dubium non est quin statim quacumque ratione eos non modo à Republica amolituri, verum etiam è viuis sublaturi sint.

Multum intereſt vtrum ſubditi malecontenti ſint, an deſperabundi. Hi enim mutandi ſtatus occaſiones etiam per præſentiſſima pericula quærunt; illi exſpectant & arripiunt. XLVIII.

Omnibus in imperio conſtitutis adhibenda eſt Reipublicæ cauſſa ſeueritas, ſine qua ciuitas adminiſtrari nulla poteſt; ita tamen vt pœna ad paucos, metus ad omnes perueniat & in ipſa animaduerſione appareat ſpecies clementiæ. XLIX.

Quamuis in omni negocio Fronti vix vlla fides habenda, ſed verba rerũ ponderibus metienda ſint; vix tamen credi poteſt, quantã vim habeãt blandiloquentia & comitas ad id quod volumus efficiendũ. Nemo .n. e ſt quin multo plus ſibi tribuat,

quam reuera dignus eſt: eoque ſi non omni honoris genere ex cipi ſe videt, mirum in modum perturbatur atque iraſcitut, contemni ſe putans.

LI. Honeſtiſſimum eſt, non plus promittere quam præſtare velis aut poſſis. Et tamen quotusquiſque non offenditur negata petitione? Ratione ſcilicet pauci duci ſe patiuntur. Vnde illi magis ſapere videntur qui liberaliter omnia pollicentur. Multa namque interea accidunt quibus illi à promiſſis abſoluantur: ſin minus; quam multa allegari poſſunt ad fidem excuſandam! Sic tamen exiſtimo, nullam tantam vtilitatem eſſe poſſe, quæ turpitudinem fidei non ſeruarę excuſare poſſit. Sapientis ergo eſt, in omnibus ſuis promiſſis ſpem ma-

gis quam rem certam, ante omnia vero animum gratificandi ei qui rogat cupidissimum ostendere: sic tamen, vt fidem suam præcise non obstringat.

II. Ab ijs rebus maxime abstinendum est, quæ certum damnum absque vlla vtilitatis spe allaturæ sint. Quare nemo, quisquis ille sit, præsens maxime, verbo aut contumelia quacunque lædendus est. Stultum namque est sine caussa inimicitias suscipere: quæ etsi leues videntur, multum tamen sæpe nocent. Qua quidem in re tanto diligentior adhibenda est cautio, quanto facilius hic à plerisque peccari solet.

LIII. Qui temere & quasi cæco animo cuicumque periculo se committit, in belluarum potius quam hominum numero

habendus eſt. Vir fortis enim periculi primum magnitudinem omneſque circumſtantias conſiderat; deinde quidquid vel honor vel neceſſitas iuſſerit, intrepide aggreditur.

LIV. Putant nonnulli fortitudinem & Sapientiam vix in vnum & eundem cadere animum: quod Sapiens maxime quæcumque aduerſa & pericula longe ante proſpiciat, nec facile ad ea ſe demittat. At contrà, meo quidem iudicio verum eſt, neminem vere Sapientem dici poſſe qui non idem fortis ſit. Omnis namque nimius vel ſuperuacaneus timor iudicij imbecillitatem arguit, non conſiderantis, ſæpe multo maiora videri pericula quam reipſa ſint; tum etiam non omnia effectum ſortiri. Quam

multa

multa enim ſunt quæ diligenti quadam induſtria auerti poſſunt? quam multa alijs rebus fortuitis, quæ in horas pæne eueniunt, impediuntur ac ſum mouentur? Quocirca omnia quæcumque ad rem pertinent diligentiſſime prius conſideranda; deinde magno animo, miſſo omni metu honeſta conſilia capeſſenda, atque exſequutioni mandanda ſunt.

Perniciose ac turpiter errãt, qui exiſtimant, *litterarum ſtudijs* intellectum corrumpi. Nam etſi hoc forte ijs euenit quibus ille à Natura imbecillis valde & debilis obtigit. certum tamen eſt mediocria ingenij & Naturæ dona litterarum ac doctrinæ adminiculis non ornari modo & excoli, ſed & ad ſummã LV.

perfectionem deduci. Vbi nãque externus quidam cultus ad rem ſua natura bonam acceſſerit, incredibile eſt quantus inde ſplendor ac pulchritudo exſiſtat.

LVI. Non ſui cauſſa creati aut facti ſunt Principes (quis enim ſeruitutem ſibi vltro imponat, ſine magni ſpe præmij ?) ſed populi cauſſa, vt hominum cætus ab ijſdem prudenter ac ſalubriter adminiſtrentur. Eoque bono Principi, *Populi ſalus ſuprema lex eſt*. At ſi Princeps ſuæ tantum vtilitatis aut voluptatis rationem habeat, neglecta Republica, iam non Princeps amplius eſt, ſed Tyrannus.

LVII. Auaritia in Principe multo fœdius ac nocentius vitium eſt, quam in priuata aliqua perſo-

na, non ſolum quod eorum, quorum maximam habet copiam, beneficiorum fructu alios priuat, verum etiam eo ipſo iuſtitiam maxime violat. Ceterorum namque hominum ſua quiſque habet ac poſſidet, nec quiſquam iure conqueri poſſit quod quis ea alijs non elargiatur. At quia Princeps publicorum quaſi bonorum poſſeſſor eſt, quæ Reipublicæ vſibus pleraque aſſignata ſunt; ſi ea ſibi ipſe retineat, aut in alios impendat, & Rempublicam, & qui ei ſeruiunt, aut ſeruire poſſent, defraudat. Quod idem de ijs qui Eccleſiæ bonis fruuntur, intelligi debet.

LVIII. Vix quidquam indignius eſt Principe quam mercaturam exercere: quo Princeps non minus peccat contra populum,

quam hic contra ipsum peccaturus esset, Reipublicæ administrationem aliaque Principis iura vsurpando.

LIX. Tanta est rerum humanarum inconstantia, tanta casuum varietas, tam inopinati euentus, nihil vt certi de ijs prædici possit, sed plerumque etiam sagacissimorum hominum cõiecturæ ac iudicia vana deprehendantur. Quare eos non laudo, qui futuri alicuius mali (licet maius id videatur, modo non ita propinquum, neque ita certum sit) metu, præsens bonum è manibus dimittunt. Qui vbi vanum illum metum fuisse postea deprehenderint, suam ipsi ignauiam non sine animi dolore, damnabunt.

Videmus plerumque falli

eos qui è Philoſophiæ præceptis tantum & Rationis regulis de imperiorum adminiſtratione diſſerunt ac ratrocinantur, non conſideratis propioribus, atque atiam minutiſſimis circumſtantijs. Fruſtra enim quis præſcripſerit quid Galliarum Regi ſequendum quid fugiendum ſit,niſi Gallorum mores & ingenia,tum tempora etiam, rerum ſtatum, &eos quibuſcum res eſt penitus nôrit.

Nemo prudens, & qui tempore recte vti nôrit, meo quidem iudicio, de vitæ breuitate iuſte poteſt conqueri: quæ quantacumque ſit, ad multas res præclare ac laudabiliter gerendas Sapienti ſat eſt. Nec refert quamdiu, LXI.

ſed quam bene vixeris, Id tantum opera danda eſt, vt nulla pars temporis invtiliter collocetur, ſed in ipſo tempore tempus lucrifiat.

LVII. Qui operam ſuam alijs vtiliter nauare vult, numquam ociosus eſſe, ſed continuo aliquid agere debet. Labor enim vnus alium parit, &iam actus, vt cum Virglio loquar, in orbem redit: vel potius, vt clauus clauum, ita vnum negocium aliud trudit ac cudit. Et ſane ad grauis viri exiſtimationem multũ intereſt, vt in ijs rebus quæ ad profeſſionem ipſius pertinent, operam habeat ſemper occupatam.

LXIII. Vt in alijs rebus, ita in his quoque Ciuilis Sapientiæ præceptis facilius eſt cauſſam inueſtigare, quam rem ipſam opere

exſequi. Ideoque ſi quis his ipſis alijsque præceptis vtiliter ac recte vti velit, neceſſe eſt vt manum quoque ipſe rebus admoneat, earumque vſu & formam de ijſdem diſſerendi, & modum operandi addiſcat.

Nulla gens vel natio tantis fuit animis, quorum generoſos ſpiritus Tyrannis non fregerit. Romanum illum mihi Senatum vide ſub Tiberio: quam ſeruiliter, adeoque nequiter adulatur! vt non iniuria ipſe Tyrannus eos vilia mancipia appellârit. LXIV.

Offenſiones quorumcumque, leues præſertim, diſſimulandæ ſunt. Si enim animum, quod dicitur, in fronte geras, nec ſatisfactum tibi oſtendas; alterum à te abiges, nec deinceps vbi commodum fuerit, LXV.

opera eius vti poteris; quamidem, nullo deprehenso alienati animi indicio, vltro alias est nauaturus.

LXVI. Ad multas & præclaras res vtilis est, immo necessaria gloriæ cupiditas, quæ inprimis hominũ animis excelsa ac laude digna patrandi stimulos addit. At longe secus res sese habet in ambitione seu honorum ac dignitatum cupiditate, qua incensi, omnia susque deque habent vt desiderijs suis potiantur. Vnde fit, vt non se modo, verum etiam alios in extremũ præcipitent exitium, & vltima supplicia incurrant.

LXVII. Qui hostes non omnibus viribus aggrediendos, sed paulatim carpendos censent, sua opinione plerumque falluntur. Vbi namque omnia prius per-

ferre quam hosti dedere se homines animum induxerint, fieri vidimus quæ ante fieri non potuisse videbantur, hominum patientia necessariarum rerum defectum supplente. Estque hic idem iudicium quod de phthisi laborantibus, quorum vita plerumq; longius protrahitur quã medicorum statuunt decreta.

LXVII. Qui cum potentibus ac magnis negocium aliquod tractat, nimiã eorum comitatem & externa honoris ac beneuolentiæ indicia non aspernetur quidẽ, suspecta tamen habeat, vt quibus illi ad nullum fere alium finem quã ad alios in suã nassam attrahendos vtantur: idq; certo persuasum habeat, suã ipsorum vnice eos respicere vtilitatem, quantumvis cum aliorum damno & ignominia coniunctam.

LXIX. Quicumque in arduarum rerum administratione versatur, nullius rei magis quam honoris & existimationis suæ rationem sibi habendam putet: cuius reuerentia animum ad præclaras actiones vehementer inflammat, & nihil vile vel cogitare permittit, omni excusso periculorum metu. Et hęc vna est ratio, qua & tibi ipsi satisfacere, & aliorum laudem ac beneuolentiam merito demereri, omnia denique ex voto peragere possis.

LXX. Multi omnibus in rebus singularem libertatem affectant, & quasi apertum pectus vltrò ostentant; nihil minus quam vllam commodi sui cupiditatem præ se ferentes: quibus tamen si forte aliqua vtilitatis spes objiciatur, per saxa, per

ignes illam persequuturi sint. Eoque non verbis & externa specie, sed ipsis factis hominum animos æstimare oportet.

LXXI. Parentum, Principum maxime peccata Deus in filijs punit. Hinc Guicciardinus ait, semper se in ea fuisse sententiâ, Ludouici Sfortiæ Insubriæ Ducis filios numquã ad Principatum peruenturos, ob summam patris in tractandis negocijs maliciam ac perfidiam, quibus & ille se omnibus suspectum & exsecrabilem reddidit, & totam Italiam atrocissimis calamitatibus inuoluit.

LXII. Potest vir bonus & patriæ amans ciuis, immo debet aliquando Tyranno operam suam non inuidere; non tamen propriæ, sed publicæ vtilitatis respectu, vt scilicet quantum

in ipso est, bona & salutaria consilia promoueat, scelerata & noxia auertat. Quare vehementer errant, qui bonis omnibus quamlongissime à Tyrannis fugiendum arbitrantur; quorum consuetudine & consilijs destitutus ille, flagitiosis hominibus totum se dabit, sicque & se & patriam momento perdet.

LXXII. In bellis qui neutram partem sequi vult, prudentissimus sit oportet; vel certe tam potens, vt victorem non habeat timendũ. Nec sane ego dissuaserim, vt spectator sedeat & quietus, sicque non multis modo molestijs & calamitatibus se liberet, verum etiam aliorum incommodis sua suorumque commoda augendi occasionem captet: at si facere id non possit quin alterutram, vel etiam ambas partes

graui-

grauiter offendat, nec contra victorem se defendere possit, sed preda ei tandem futurus sit, ad tutiorem partem sese inclinabit.

Quum eadem fere sit totius populi quæ singulorum natura, vt scilicet vna re impetrata statim aliam petant, suamque fortunam meliorem facere continuo studeant; vtile fuerit primam statim eis denegare petitionem, vt repulsa eiusmodi circumspectiores fiant & verecundiores. LXXIV.

Sapientem rerum præteritarum cursum in numerato quasi habere oportet, vt earum comparatione, de præsentibus tanto melius iudicare possit. Est enim Mundus semper vnus idemque; nec quidquam sub sole nouum est, sed abeunt omnia, & redeunt, sed LXXV.

alijs atque alijs coloribus depicta; quibus remotis, veram rei cuiusque velut formam & habitum deprehendere, non cuiusuis est, sed sagaci ingenio multarumque rerum vsu prædiri.

LXXVI. Non dubium est quin Mundo melius fruantur qui longiorem habent vitam; & felicius viuant qui minus acuto & alto sunt ingenio. Quanto enim melius quis ac penitius res huius sæculi introspicit, tanto maiores molestias ac dolores capit. Qui vero quasi superficialiter vitam hanc degustant, magis gaudent ac minus dolent.

LXXVII. Non mores tantum, sed & vestitum ac linguam omnium fere populorum, immò ipsum quoque ciborum gustum mu-

tari, ipsa testatur experientia; vnde patet quanta tum hominum tum omnium in hoc Mundo rerum inconstantia sit & mutabilitas.

Tam ad iustitiam quam iniustitiam vis adhibetur, ex quo sequitur, vim per se malã non esse, sed male vsurpari, eam scilicet qua alij præter fas & ius opprimuntur: ad quam repellendam atque auertendam legitima vis à magistratibus adhibetur. LXXVIII

Intempestiua consilia vel conatus, qui difficiles, immo impossibiles videbantur, in ipso tempore adhibiti, facilime procedunt. Quare omnibus in rebus præcipua temporis habenda est ratio, eiusque captanda opportunitas. Vix enim fieri potest, vt quod intempe- LXXIX

ſtiue cœptum eſt, felicem exitum ſortiatur. Vnde hominibus cũctabundis & patienter occaſiones exſpectantibus, non ſine cauſa Prudentiæ laus tribuitur.

LXXX. Vt duo litigantes in concordiam redeant, non inconſultum fuerit, longis eos fatigare dilationibus; ſi præſertim eorum alter alacris & iracundi ſit animi. Hic enim ex æquo potius cum aduerſario decidere, atque etiam nonnihil de ſuo iure cedere, quam Procuratorum & Aduocatorum auaritiam explere, ac Iudicis tumorem atq; arrogantiam ferre volet.

LXXXI. Male ſaluti ſuæ conſulunt magiſtratus qui multa ſeueritate auctoritatem ſibi conciliare ſtudent, eoque nemini ignoſcunt; tantum vt metuantur. At his illud occini poteſt: *Quem metuunt, derunt, & periiſſe expetunt.* Et illud

alte-

alterum: *Malus diuturnitatis custos est metus*. Quam melius ac tutius illi, qui seueritatem ita clementia miscent, vt exemplum ad omnes, pœna ad paucos perueniat; quique etiam quum ignoscunt, nihilominus vt seueri Censores formidantur.

In Republica vbi maior est malorum quam bonorum vel æqualis vtrorumque numerus, præstat magistratus sorte eligere; quum hic nec ambitio, nec amicitiæ vel cuiuscunque alterius rei respectus locũ habeat. LXXXII.

Quando beneficium alicui confertur, nullo habito personæ, sed rei alterius respectu; si ea mutata, beneficium quoq; cesset, frustra is benefactorem inconstantiæ insimulabit: quum prius illud beneficium non homini, sed rei datum sit. LXXXIII.

Nullum est publicum munus

vel officium quod maiorem requirat prudentiam, curam ac sollicitudinem, quam supremi in exercitu ducis. Vt enim alias res quæ ad curam ipsius pertinent, omittamus, tam varij atque inopinati sunt casus, tam subiti euentus, vt si vel ipso Argo esset oculatior, non tamen omnia præuidere possit. nec omnes Medicorum filij tot præscripserunt ad corporis sanandos morbos remedia, quot ad subitanea ista duci opus est.

LXXXV. Qui plebem vel vulgus nominat, stultum animal nominat & furiosum: cuius opinio à vero, iudicium à recto tam remotum est quam cœlum à terra; cuius inconstantia maior est quã ventorum; furor, celerior fulmine.

Si

Siquis amico ad dignitatem aliquam consequendam auxilium præstiterit, at eundem postea in sua quasi potestate habere ac regere velit, omnes beneficij sui fructus corrumpit, dum quod alienum est, tamquam proprium sibi vsurpat. eoque alter ille merito laudandus sit, si maiorem officij sui atque auctoritatis quam beneficij ab amico accepti rationem habendam sibi putet. LXXXVI.

Immeritam laudem nonnulli affectant ex eo, quod vel fecerint vel omiserint res illas quæ vel factæ vel omissæ nihil quam reprehensionem merentur, neque enim satis est nihil mali facere, verum etiam bene facere oportet. LXXXVII.

Vetus est verbum, Filum semper rumpi vbi maxime est de- LXXXVIII.

bile. Quocirca insipienter faciunt qui cum potẽtibus competitoribus in campum descendunt, quamuis illis & ipsa Ratio & Virtus suffragentur. In ea namque tempora incidimus quibus vncia auri pluris quam libra sapientiæ aut virtutis æstimatur.

LXXXIX. Non laudauerim eos qui præter speciem ac colorem virtutis nihil possident: hanc ipsam tamen opinionem multis vtilissimã fuisse compertum est. Ea est enim hominum natura, vt eiusmodi persuasiones non facile sibi eripi patiantur: & fama tam ficti prauique tenax quam nuncia veri est.

XC. Ministrorum vitia nemo minus quam ipse dominus seu patronus cognoscit, vt qui cum alijs simpliciter viuunt, at patro-

nis non quales sunt, sed quales videri volunt, sese ostendunt.

Vere sapientis est, Fortunæ suæ modum ponere. Quãmulti enim, nimium sibi indulgendo, & grauiora viribus susci piendo, exitium sibi accersiue runt? Equidem infelici sidere eos natos iudico, qui aliorum exemplo prudentiores fieri nolunt. XCI.

Qui aulam eum in finem se, quitur vt rebus agendis admoueatur, à Principis latere, quo ad eius fieri potest, nunquam discedat, Magnates enim vbi quid inciderit, eos statim quos præsentes ac sibi vicinos viderint, adhibent. Nequaquam ergo spes longius mittenda, aut venturæ occasiones exspectandæ sunt: quum amisso quamuis paruæ rei principio, & spes & res simul sæpe amittantur. XCII.

Quamuis

CXIII. Quamuis seruire, bonum non sit; male tamen seruire multo peius est: siquidem qui male seruit, non modo neminem sibi obligat, verum etiam grauiter omnes offendit. At qui bene seruit, licet forte non multum rei aut peculij sibi acquirat, bonam tamen apud omnes existimationem ac famam sibi conciliat, ac de patroni vel domini ingratitudine, omnibus assentiẽtibus, merito conqueri, sicque dolorem suum aliqua ex parte vlcisci potest.

XCIV. Qui fortunam (vt cum vulgo loquamur) propitiam & fauentem semper expertus est, maiori animo ac spe quiduis aggredi potest, ita tamen vt ne nimium vel sibi vel fortunæ confidat: quæ instar Protei, in

vno momento temporis variè mutari solet, ac vix in vno eodemque negocio, nedum in diuersis eadem ad finem perdurat. Quæ diuersitas in eorum quæ ijsdem modis & pari dexteritate ac prudentia tractata sunt negociorum successibus, facile notari potest.

Non habet homo infestiorem sibi hostem quam seipsum, vel potius effrænem suam ipsius cupiditatem. XCV:

Quamuis res huius Mundi numquam consistunt, sed continuo cursu ad metam ipsis præfixam à Natura cientur; plerumque tamen ab illa ipsa meta multo absunt longius quam nos putaueramus. Inde fit, quod nos cursum illarum vitæ nostræ decempeda metiamur, quę breuis admodum est; illæ XCVI.

vero

vero licet continuo moueantur, tamen earum motus vix apparet. Vnde non mirum est, prædictiones ac coniecturas quæ de his fiunt, vanas plerumque reperiri.

XCVII. Auaritia, siue pecuniæ atque opum cupiditas animi vilis & partus est & indicium. Quia tamen his moribus hodie viuitur vt etiã ipsa virtus sine his parũ possit; necesse est vt qui emergere cupit, eas acquirere satagat. Paupertas enim licet bonæ mẽtis contubernalis plerumq; sit; apud omnes tamen despecta est: nec quisquã est quin eius contubernio libenter sit cariturus.

XCVIII. Dubito, an pro fortunatis illi habendi sint quibus splendidæ occasiones semel tantum oblatæ sunt: quum pauci sint qui eas statim apprehendere nôrint.

Equidem quibus bis ad minimum fortuna hoc modo fauit, pro fortunatis habendos esse iudico; modo sibi ipsi ne desint. Et hoc quidem totum fortunæ est munus: ibi vero prudentia quoque suas vt obeat partes opus est.

Vera Iustitiæ ministra Reipublicæ est libertas, quæ vetat ne alter ab altero opprimatur. Vnde si illud satis prouisum sit vt res omnes in Republica, siue ab vno siue à paucis bene ac recte administrentur, nulla maior libertas optari posset. Certe antiqui Philosophi non illam Rempublicam magis probarunt in qua plus esset libertatis seu licētiæ, sed illam in qua iustitiæ ac legum maior esset vigor. CIX.

Nouis quæ incerto auctore fe C:

runtur, quamuis vero sint similia, non ita statim fides habenda est, præsertim si valde optata sint ac desiderata: ne alij spe nostra ad decipiendos nos abutantur. At si noua illa sint vt ita dicam, extrauagantia & insperata, tutius aliquanto eis credi potest, vtpote in quibus fraus non ita locum habeat, quum istiusmodi non ita facile persuadeantur; econtra facile quæ volumus, ea credamus.

c 1. Magna Astrogolorum hæc prærogatiua est, quod etsi vel artis (quam non sine caussa nonnulli incertam, vanam, fallacem, immò meram imposturã appellant) seu suo ipsorum vitio millia mendacia prognosticationibus suis inferant, vnius tamen prædictionis veritate facile ea omnia tegant, fidemque

resarciant, quod contra alijs euenire solet, quibus in vno deprehensis mendacio, etiam verum dicentibus postea non facile fides habetur. Caussa huius rei est nimia futuras res prę-noscendi hominum curiositas, quæ nonnullos adeo dementat, vt chiromantis, atque etiam pessimæ illi hominũ fæci quos Cingaros vocant, manus tractandas porrigant, & futura expiscentur, dum præclarus ille vates loculos expilat. Quin etiam Medicis credimus, illa ipsa medicamenta nobis tamquam salutaria laudãtibus, quibus quamplurimi ab ipsis occisi sunt.

CII. Ab omni re vel actione quæ damnosa alteri sit, omnino abstinendum. Nam etsi nulla eiusmodi damni culpa, merito tri-

bui tibi possit, semper tamen imputabitur; & si vni, alteri tamen te non purgabis. Contraria vtilitatum est ratio; quarum non auctores modo, sed etiam quicumque interuenerunt, amantur & laudantur.

CIII. Qui à Superioribus suis amari cupit ac euehi, necesse est in eis honorandis & colendis nihil omnino prætermittat. Reuerentiæ enim defectum, despectum illi interpretantur.

CIV. Inhumanum sane & crudele admodum fuit Syracusanorum decretum, quo statutum fuit vt omnes qui Tyrannos aliqua cognatione attingebant, etiam infantes & feminæ è medio tollerentur: nec tamen ratione caruit. Qui namque tyrannorum gaudent imperijs, vno sublato, alium statim creabunt. Quia ve-

ro tanta dignitas homini nouo satis tuto committi non potest, ad illum quicũque è prioris stirpe reliquus fuerit magno studio concurrent. Vnde manifestum est, eam Ciuitatem quæ tyrannidis excussit iugum, nõ nisi vniuersa cum ipso Tyranno excisa progenie, tutam ac securam esse posse.

CV. Et impetu & cunctatione res arduæ geri & ad finem perduci queunt. Ille omnia perrumpit; hæc, amolitur. Verum tamen est, illo ipso quo vnus rem promouet, alium eampse impedire. Quod si quis duo hæc ad vsum posset coniungere, nihil eo fieri possit excellentius. Sed quia fieri non potest, mea quidem sententia, ad felicem rerum euentum magis proderit prudens quædam cunctatio seu

patientia, quam præceps impetus.

CVI Tam incerta sunt futura, vt prudentissime deliberata euentus habeant omnium maxime inopinatos. Nihilominus tamen nihil nisi consulto agendum; & etiam vbi ratio nulla apparet, Ratio audienda est: quum temeritas belluarum propria sit. Et homini sapienti illud satis est si vti oportet bono & maturo consilio omnia deliberarit, etiamsi euentus intentioni minime respondeat. Culpam enim, non fortunam præstare potest.

CVIII. Nonnulli vtilissimam in Reipublicæ administratione hanc Regulam putant, vt omnes superflui sumtus resecentur. Ego vero illud maioris industriæ ac sollertiæ putarim, ea quæ faci-

enda ſunt, quam minimo facere ſumtu, pecuniã parce, ſed vtiliter erogando.

Male rationes ſubductas habent, qui ſpe ordinarij cuiuſdam lucri ſeu reditus, ſuperfluos faciunt ſumtus. vbi enim illa decollauerit, non ipſius modo pecuniæ, ſed temporis atque etiam honoris iacturam feciſſe ſe ſentient. Nec priuatos ſolum, ſed & multas Reſpublicas ac Principes vna hæc res perdidit, quod acceptum cum expenſo non diligenter comparetur. CVIII

Vetus apud nos monitum eſt, denarium antequam erogetur, ter quaterve manu vertendum eſſe. quod quidem non ad auaritiam, ſed ad parcimoniam referendum eſt. Vbi enim, quãdo, & quibus oportet, hilariter & alacriter ſemper dandum eſt: CIX

at in res superfluas vel inutiles, ne truncus quidem impendendus. Verissimum namque est, *Magnum vectigal esse parcimoniam.* Et vnum denarium in loculis pluris esse centum inde exsulantibus vel exclusis.

CX. Qui populo seruit, ingrato se seruire pro certo habeat. Quod enim omnibus impenditur, singulorum nemo sibi impensum refert. Nulla tamen occasio de populo vniuerso benemerendi prætermittenda est: vt si nihil aliud, laudem salutem & honorificam existimationem nobis comparemus. Quamquam sæpe etiam eiusmodi beneficijs digna gratia refertur; & liberis etiam paternæ liberalitatis ac beneficentiæ memoria ad res magnas viam aperit ac sternit.

Virtus sibi ipsi est præmium. CX
Qui ergo bene facit lucri aut commodi sui, vel alterius rei caussa, præstantissimo virtutis fructu seipse priuat, bona scilicet fama & existimatione, & inprimis honesti conscientia: qua sapiens vnice contentus, cætera præmia non aspernatur quidem, nec tamen anxie venatur.

Honestissima & maxime laudabilia sunt illa facta, ex quibus ad alios omnes potius quam ad ipsum auctorem vtilitas redit. CXI

Obsessis nihil vtilius est quam hostem per moras ac dilationes eludere, ac tempore defraudare: si quidem non vnius diei modo, sed etiam vnius horæ mora obsidionem soluere, & hostem aliò diuertere potest. CXIII.

CXIV. Si homo quantumuis prudens & rerum mundanarum peritus hodie sententiam suam quid in hac vel illa re faciendum sit, vt talem vel talem exitum consequatur, litteris consignet, deinde post aliquod tempus, re iã ad exitum deducta eãdem inspiciat, iudiciumque suum examinet; non dubito quin idem fere ipsi euenturũ sit quod Astrologis: qui si ad finem de uoluto anno, Diaria sua vel Calendaria inspiciant, non sine rubore deprehensuri sint quam in omnibus fere toto cœlo errarint, & vix in minimo recte collinearint.

CXV Fieri non potest vt rem penitus noscat qui non omnes circumstantias nôrit; quarum vel vna, & ea quidem minima omissa, totam rem variat ac transformat. Quamobrem arbitror, il-

lum

lum qui non nisi generalem quandam rerum eiusmodi ac casuum habet notitiam, vbi particularia quoque cognorit, non modo non melius, sed etiam absurdius de tota re iudicaturum: quum intellectus etiam bene fundatus minutarum istarum rerum consideratione perturbari soleat & confundi.

CXVI. Vtplurimum falluntur ij qui ad primos quosque rumores seu nuncios de rebus suis statuunt & decernunt: quum primi semper feruidiores sint & reb. ipsis aliquid affingãt, posteriores vero certius aliquid afferant.

CXVII. De rebus ad religionem pertinentibus, vel immediate à Deo dependentibus ne altercator: vtpote quarum ad cuiusuis hominis intellectum subigendum nimis valida vis sit.

CXVIII. Si quis ita peruersi sit ingenij,

vt etiam sine alicuius sui commodi aut voluptatis respectu, ad malum magis quam ad bonũ feratur, is hominum censu eximendus & ad bestias transscribendus est.

CXIX. Non semper fides habenda est ijs qui tædium huius Mundi & solitariæ vitæ seu quietis amorem præ se ferunt: quorum verba immane quãtum ab intimis sensis discrepant. Hinc ijdem licet jam Mundo valedixisse ac publicarum rerum curæ subtraxisse se videri velint, tamen vbi spes aliqua vtilitatis vel dignitatis affulserit, continuo sese proripiunt, & non sine periculo curis illis ante damnatis sese immergunt, instar blattarum, donec alas amburant, lucernam circumvolitantes.

CXX. Multiceps bestia est populus, nec tam Ratione quam fortuna

ducitur: cuius ope siquis ad honores prouehi cupiat, insanis fluctibus fragilem cymbam committit.

Qui beneficium ab aliquo CXXI.
sperat, eius spem omnem in solo illo repositam sibi ostendat, neque ad alium interim confugiat. Sunt enim plerique omnes homines eo ingenio, vt conceptam de se opinionem minime fallere velint: ne videantur id quod ab ipsis sperabatur vel præstare noluisse, vel non potuisse; quorum illud inhumanitatis, hoc impotentiæ est argumentum. Hinc videmus, multos vt hanc de se opinionem tueantur, ijs gratificari quos alioqui non valde amant.

Tanta est humani ingenij va- CXXII.
rietas, tanta judiciorum discrepantia, nihil vt fere tam absurdum sit, nihil tam à ratione

alienum quod non alicui placeat, vel credibile videatur. Quocirca si quid vel dictu vel factu incredibilé audiueris, ne fidem omnem denega. Quod enim ad tui iudicij modulũ non quadrat, cum alterius opinione ad amussim forte quadrabit.

CXXIII Principum sors magis quidem libera quam ceterorum hominum videtur. falso: eorum præsertim qui Prudentia duce viuntur. Dici certe vix potest, quam multa ijsdem dissimulanda, quam multa ferenda, atque adeo alienæ potius quam suæ ipsorum voluntati mos gerendus sit: quod eorum familiares potime testari possunt.

CXXIV. Si tunc quando consilium nostrum exsequutioni mandamus id scire possemus quod in illo' ipso euenturum fuerat si illud

vel

vel omnino non vel alio modo fuissemus exsequuti: dubium non est quin multa quæ iam laudantur, in reprehensionem sint incursura.

In consultationibus contrariæ sæpe occurrunt rationes: quibus bene ponderatis, vbi quis hoc vel illud statuerit, semper tamen postea deterius elegisse sibi videbitur. Cuius rei caussa est, quod post deliberationem animo nostro eæ tantum occurrunt rationes quę pro cõtraria faciunt parte, quæ sine illis consideratæ, multo quam antea grauiores videntur. Vt autẽ scrupulo hoc seu molestia quis liberetur, expedit vt omnes in vtramque partem rationes rursus tamquam bilanci imponantur, omnesque inter se & singulæ ponderentur; sicque vera omniũ momenta deprehẽdãtur CXXII.

CXXVII Extra controuerſiam eſt, qui ipſe Prudens non ſit, ſine alterius conſilio nihil recte ac bene geſturum. Sed quia periculoſum eſt alterius ductum ſequi (ſiquidem pleriſque, quod dici ſolet, tunica propior eſt pallio, ſic vt vel paruum aliquod ſuum commodum etiam magno alterius anteponant) etiam atque etiam videndum eſt, vt eorum qui & fideliſſimi & ſapientiſſimi ſint, Conſilijs vtamur. Alioqui enim fieri poſſit vt male faciamus conſilium petendo; & multo peius, non petendo.

CXXVIII. De rebus futuris coniecturam facientibus idem ſolet quod ad ſcopum collineantibus accidere. Vt enim hi interdum nimis alte, interdum nimis profunde, iã nimis ad dextrã, iam nimis ad læuã telum iacere ſolent & pauci ſunt qui ipſum ſcopum tan-

gant: ita de futuris è præsentibus aut præteritis ratiocinãtes, in omnem potius partem declinant quam eam quò res ipsa est euasura. Est quippe tanta casuum ac circunstantiarum varietas, vt sæpe primum omnium id fiat, quod fieri posse, vix nobis in mentem venit.

Vt omnium rerum, ita Ciuitatum quoque & Imperiorum certæ sunt periodi ac fines. Quare infelix illa ciuitas dici nõ potest. quæ postquam diu floruit, tãdem ad interitum vergit. neque illa præcipuam sortem postulare, aut communem recusare debet. Infelicior tamen est eorum conditio, quibus labascente patriæ statu quã quibus eodem florente nasci contigit. CXXIX.

Quando in consultatione cõtrariæ emergunt opiniones, qui CXXX.

mediam aliquam attulerit, plerumque alios omnes in ſuam facile trahit ſententiam; nõ quod melior iſta ſit (quum ſæpe ſit deterior) ſed quod ad medium quam ad extrema potius abduci ſe plerique patiantur: quos deinde alij ſequuntur, partim ne alios offendant, partim etiã quod rem ipſam non penitus intelligant: ad eam interim partem quę minus habet contradictionis, magis inclinant.

CXXXI Ad fidem ijs Aſtrologis abrogandam, qui totius anni tempeſtates, atque etiam morbos, bella, aliaque eiuſmodi prædicere conantur, illa foret ratio commodiſſima, vt cum noui anni Prognoſticis præteriti anni Prognoſtica recudãtur: quo eorum comparatione, vtrorumque errores quaſi manu de

prehendantur. Quia vero vix quiſquã eorum quę præterito anno euenerunt meminit, & humana mens futuri inprimis curioſa eſt: fit vt nugis illis & ineptijs plus quam par eſt tribuatur.

De Principum conſilijs & a- CXXXII.
ctionibus vix eſt vt priuati homines recte iudicare poſſint, nõ tãtum quod arcana Principum ignorent, verum etiã quod eorum rationes à priuatorum rationibus valde diſcrepent. Vnde fit, vt ijſdem examinãdis alia norma, alia menſura & pondus adhiberi debeant.

Si quis beneficium à te petat, CXXXIII.
vel fauorem tuum ad id obtinendum imploret, etiamſi quæ ibi difficultates occurrunt, tibi ſint euidentiſſimę, nullã tamen earum apud illum mentionem facies, ne cauſsã detrectãdi

officij te quærere putet, teque parum sibi beneuolum interpretetur. Præstat ergo vt in ipsius negotij cursu difficultates illas ipse deprehendat; tu vero interim modis omnibus adiuuare eum allabores: sicque omni officio ipsi satisfacias.

CXXXIV. Quod de corporum morbis suadetur,

Principijs obsta. sero medicina paratur
Quum mala per longas inualuere moras.

idem de regnorum ac Rerũpublicarum morbis intelligendũ est. Quanto enim magis inueteratus est morbus, tanto violentiora requirit remedia, quæ periculo non carent. Nec obiter tantum morbi isti curandi sunt, sed omnis mali radix funditus excindenda est.

CXXXV. Eos qui magiſtratus gerunt nec aſpera mandata nec molles preces, ſed graues decent exhortationes. Qui enim rigide imperant, odium; qui blande rogant, contemtum ſibi pariunt; at grauis exhortatio Auctoritatem conciliat, ex admiratione miſtæ cum modeſtia grauitatis natam.

CXXXVI Qui tranquille viuere cupit alienis ſe non immiſceat negocijs; magiſtratibus non oggan niat, nec eorum munia interpellet; conſilium nemini det niſi roganti; à vulgi abſtineat conſuetudine; & ante omnia in ſermone perparcus ſit & cau tus.

CXXXVII Cum ijs quibus, vt ille ait, mala mens eſt, malus animus, caute admodum agendum eſt, operaque dãda, vt in primo de

deprehensi delicto, statim casti gentur antequã maius quid & atrocius committendi illis sese offerat occasio, sicque in officio illi, quantum fieri potest, contineantur.

CXXXV.II Licet in arduis deliberationibus quæcumq; incidere posse videntur impedimenta & errores, eorumque remedia diligenter præmeditata sint: fit tamē sępe, vt idem negocium quum iam inibi est vt exequutioni mandetur, alijs implicitum sit difficultatibus, quæ consultantibus numquam in mentem venerunt; sicque tota consiliorum tela rumpatur. Quoniam igitur consilia è primis conceptibus nata raro sufficiunt, tali opus est exsequutore qui prius errata commodissime emendare & corrigere possit.

Quemadmodum in Repub- CXXXIX.
lica diligens pauperum ratio ac
cura singularis cum delectu ha-
benda est; ita vagabundi om-
nesque sano corpore ociosum
sibi victum mendicando quæ-
rentes, inprimis monstra illa
hominũ quos Cingaros vocãt,
non eijciendi modo, verumetiã
seueris pœnis coercendi sunt.

AEquum sane est vt Princi-
pibus aut magnatibus fideliter CXL.
ac diligenter quis seruiat, sed
ipsorum sumtu: quum ab omni
ratione & æquitate valde alie-
num sit, vt quis sub spe lucri,
damnum incurrat, & alijs inser
uiendo, seipsum consumat.

In iudicijs sæpe plus valet CXLI.
vncia fauoris, quam libra iuris.

Gubernator vel Præses popu- CXLII.
lum quidem amare, magistratus
honorare, & Nobilitatem in

pre

precio habere debet, numquã tamen permittere vt quisquam horum quidquam faciat quod ad minuendam superioris pertineat auctoritatem: cui quantum detrahitur, tantum vulgi audaciæ additur. Id vero tanto peius est, quod incommodum hoc siue damnum tum demum sentitur quando remedio vix, ac ne vix quidem locus est.

C LXIII Tritum est apud Italos prouerbium: *Colui che serue & non acquista, che cosa aspetta?* id est, *Qui seruit sine emolumento, quid ei exspectandum amplius?* Quæ quidem interrogatio tacitam habet reprehensionem. Vt enim nimia spes in iuuenibus experientia destitutis errori, ita in senibus eadem stultitiæ adscribi debet.

CLXIV, Regionum Prefecti ac Præsides magistratibus habenas ne,

quaquam nimis laxare debent: Exempla enim eorum quæ fieri solent, in leges transeunt. Quod si postea reprimere eos ac coercere velis, consuetudinem statim seu possessionem allegabunt; eoque prætextu non modo in regię seu Principalis auctoritatis præiudicium, verum etiam in damnum Priuatorum multa quotidię committent.

Est genus quoddam hominum valde insolens ac pæne intractabile, eorum scilicet qui è sordibus ad magnas diuitias aut dignitates perueniunt. CXLIV. Hi namque amicos & inimicos iuxta habent, & præsentibus confisi, futurorum securi, sibijpsis nullum modum statuunt; sed & vigilantes

magis quam dormientes ne-
ſcio quas chimęras ſibi fingunt.
De quibus ſpe ſua falſis, illud
tandem dici poteſt:

— tolluntur in altum,
Vt caſu grauiore ruant.

CXLVI. Quemadmodum cognati ac propinqui beneuolentes, & quibuscum nobis bene conuenit, emolumento ſunt & honori; ſic ij qui amicitia noſtra recte vti non norunt, moleſtias afferunt & pudorem. Vtile namque eſt vt alij in illis tam ad tuas quam aliorum vtilitates præſidium tibi eſſe ſciant; at ſi hi alteri beneficium à te petant, nec tu præſtare id poſſis, ipſi vero culpam tibi imputent; facile intelligi poteſt quantum inde exiſtimationi decedat, vt quem omnes credant. proxima ſibi cognatione iunctos vel iuuare non vo-

luisse, vel non potuisse. Eoque præstat semper paucos, immo nullos habere, quam multos.

Fronti nulla fides, vt quæ sæpe sæpius ad meram fallaciam fingatur ac componatur. Male tamen plerique sibi consulunt qui huiuscemodi imposturas meditantur: quum mille quasi rimæ sint quibus id quod in animo occultum gestatur, pelluceat admoto sollertis iudicij lumine: Et vere ille dixit, *Nihil simulatum posse esse diuturnũ*. Satius est ergo vt omni fraude & dolo excluso, sincere agamus, ne omnem fidem atque existimationem perdamus. CXLVII.

Iuuenes nobiles, ijdemq́ etiam in paupertate altos spiritus gerentes, ad externa bella ablegandi sunt, ne domi res nouas moliãtur, patriãque perturbẽt. CXLVIII

CL. In Republica moribus corrupta præstat magistratus sorte quam suffragijs creari. Sors enim tam bonis quam malis fauere potest; at si ad suffragia deueniatur, quia maior est malorum quam bonorum numerus, credibile est pessimum quemque electum iri.

CL. Impossibile quasi est vt cum tyrannide bonæ leges ac mores simul persistant. Quia enim tyrãnus sceleratorum hominum ope imperium sibi acquisiuit, necesse est vt eorundem ope & consilijs id sibi conseruet. Ea autem est vitiorũ natura, vt tam quam morbi contagiosi indies latius serpant. Quãdo ergo res mutari non potest, optimũ forte fuerit, vt boni, iam stabilito Tyranni imperio, non modo nulla ægri animi indicia præbe-

ant, ſed etiam Tyranno beneuolos ſeſe oſtendant; ſicque ab eo in gratiam & familiaritatem recepti, paullatim bonis legibus ferendis auctores ſint: atque vbi ipſam ſeruitutem depellere non poſſunt, eius conditionem faciant meliorem.

CLI. In Republica pacis fere magis quam belli tempore vigilādum eſt, ne ea detrimenti aliquid capiat: ſiquidem tam hoſtibus quam malis ciuibus, id tempus nouandis rebus, malis prouehendis & opprimendis bonis maxime opportunum eſt: eoque tam contra vim hoſtium quam proditorum inſidias certa ac firma præſidia comparāda, & in promtu ſemper habenda ſunt.

CLII. Et quia coniurationum eiuſmodi tempeſtas maxime in eos qui ad Republicę clauū ſedent,

vti & bonos omnes ac patriæ amantes, incumbere solet; cura hæc quoque ad eosdem maxime pertinet: quam si posthabeant, negligentiam hanc suam non fortunis modo, sed ipso quoque sanguine luent.

CLIII. Coniurationes diu occultari non possunt, præsertim cuius multi sunt participes, quorum semper aliquis vel timore pœnæ vel præmij spe inductus, rem aperiet. Quod si vel vna femina in conscientiam assumatur; ite: iam detecta res est.

CLIV. Quamuis antiqua consuetudo vim inuiolabilis quasi legis obtineat, necessitati tamen cedere debet: siquidem Reipublicæ salus ipsarum quoque legũ maiestate potior esse debet.

CLV. Inquietis, ac seditiosis nihil magis animum adimit, quam si

bonos, graues ac prudentes viros, Reipublicæ gubernandæ admotos videāt. Scelerati enim non tam in suis viribus, quam mala Reipublicę administratione & Iustitiæ conculcatione spem ac fundamentum suorum consiliorum positum habent.

Illustri genere prognati, sed paupertate oppressi, & nouarū rerū spe stimulati hominis ambitio atque audacia nullis difficultatibus deterreri ac reprimi, sed sola morte coerceri pōt. CLVI.

Ardens regnandi cupiditas, & nimium diuitiarum desiderium ita hominum mētes excæcant, vt res difficilimas, immo impossibiles, facilimas siue persuadeant, & in inextricabilibus negociorum labyrinthis, felicem sibi exitum promittāt. CLVII.

Prudentiæ in administranda Republica tanta vis est, vt non CLVIII.

 solum

ſolum cœptas iam atque etiam ad exitum fere perductas perditorum ciuium machinationes euertere, verum etiã ipſam armatæ multitudinis vim eludere atque elidere poſſit: ſicque vnius hominis virtus efficiat, quod numeroſus efficere exercitus nequit.

CLIX. Licet ad conſeruandam ſupremi in Republica Senatus auctoritatem pertineat, vt ab ipſo tantum rerum agendarum oracula ac decreta petantur: nihilominus tamen, quia multa incidunt vbi ſubitis ac repentinis opus eſt remedijs, magiſtratibus plena ijs de rebus ſtatuendi, & quod è Republica eſt agendi facultas permittẽda eſt: ne dum Senatus cogitur, dum in longum abeunt conſultationes, vna quoque pulcerrimæ abe-

ant occasiones : tum etiam ne res ad multorum conſcientiam delata, diſpaleſcat, ac tota denique coepti negocij tela rumpatur.

Quamuis omni tempore & in omni occaſione (præſertim vero ſi quæ forte turbæ in Republica exſtiterint) boni ciues omnia quæ tam foris quam domi fiunt vel aguntur, diligenter expiſcari atque explorare, eaque ad magiſtratus, vt conuenientia ab eis adhibeantur remedia, deferre debeant; inprimis tamen obſeruanda ea ſunt quæ ad ipſam metropolim ſeu prouinciæ vel regni caput ſpectant, ne illi qui clauum tenent Reipublicæ, ambitione vel auaritia corrumpantur, qui CLX.

bus nihil aliud quam magistrā-
tuum Reipublicæ fidelium au-
ctoritas & vis opponi potest.

CLXI. Multas rerum præclare ge-
rendarum occasiones illud cor
rumpere solet, quod Commis-
sarij nimis angustis mandatorū
limitibus circumscribuntur: vn
de fit vt quum facto iam opus
est, tum modo consultatio inci-
piatur. Expedit ergo negocia e-
iusmodi ijs committere, qui
suæ in Rempublicam fidei cer-
tissima habent pignora, quique
spectatæ sint prudentiæ, ijsque
satis amplam de ijs quæ è repu-
blica sunt, statuendi dare facul-
tatem.

CLXII. Ad flagitia & occultas ma-
chinationes detegendas nihil æ-
que valet, ac non impunitas
modo (si is in consciorum sit
numero) verum etiam præmi-
um delatori propositum. Incre-

dibile

dibile namque dictu est quantum & supplicij metus, & vtilitatis spes in hominum animis possint.

Qui iudicijs se se subducunt, reos quasi se ipsi peragunt; contra qui prompte atque intrepide obeunt vadimonium, suspiciones si non exstinguunt, restinguunt tamen & diluunt. Quare ad probandam innocentiam vix quidquam est efficacius (modo nullæ certe adsint delicti probationes, & captiuitatis absit metus) quam promte in iudicio comparere ac grauiter inuehi in eos quorum quis suspicionibus premitur. Pertinax enim negatio etiam in re pæne manifesta nebulas Iudicis animo affundit. C LXIII

Vaferrimorum hominum malitia omnes suas vires contra Rempublicam expediente infe- CLXIV

riorum Magistratuum est tum maxime vigilare, ac minutissima quæque, vnde periculi aliquid sit, ad vniuersum Senatum referre, vt si in tanta Senatorum multitudine (quod facile fieri potest) affectus vel auaritia transuersos aliquos agat, vel etiam per ignorantiam praua consilia subrepant, ceteri Reipublicæ saluti prouidere queant.

CLXV. Arrogantes atque impudentes homines delictorum sibi cõscij, omnia agunt vt iudicia declinent: eoque contra Iudices excipientibus non facile credendum aut deferendum, nisi res ipsa sit manifestissima.

LXVI. Licet in ea Ciuitate in qua magna Nobilitatis ac plebis pars conspirant, non difficile modo sit incensos nouanda-

rum

rum rerum ſtudio animos re-
primere, verum etiam periculo-
ſum eos iritare , quando vel
nobilitas, vel diuitiarum ampli-
tudo, vel etiam virtutis ſplēdor
partium duces facere poteſt: mi-
nime tamen vllam timoris ſig-
nificationem dare debent Re-
ctores ciuitatis; ſed verbis pri-
mum atque exhortationibus
damni è ſeditione emerſu
ri oſtendere magnitudinem; v
bi vero id parum profuerit, ef-
ficaciora adhibere remedia, ſine
vlla cunctatione vel metu. Apud
pleroſque enim plus poteſt a-
mor ac deſiderium communis
libertatis, quam alieni commo-
di aut honoris ſtudiū: eoq; cre-
dibile eſt multo plures ſeſe ijs ad
iūcturos qui legitime Rēpubli-
cam adminiſtrāt, & antiquas le-
ges ac conſuetudines tuentur,

quam qui vel auaritia vel ambitione impulsi, nouis rebus student.

CLXVII. Proreges Legati, prætores, alijque Principum ministri, qui procul ab ipsis degunt, etiamsi tam diligentissime quam fidelissime omnes sui muneris partes obeūt, minime tamē pro cetera Principum in alios liberalitate, munifice tractantur ac dimittuntur; quum tamen ob summ tuum, qui foris faciundi sunt, magnitudinem, Principes in nullos magis liberales esse deberent. Id vero ideo fit quod ea quæ videmus magis mouent quam quæ audimus; & remunerationes ex re nata siue occasione, quæ moram non patitur, conferuntur: eoque semper qui proximior igni est, magis se calefacit.

Quia tam difficile quam periculosum est Principibus velle persuadere id quod minime ipsis placet, plerique Consiliariorum assentationibus se dedunt, vti ille apud Comicum: Ait, aio; negat nego: sicque viam, vti quidem existimant, planam ac tutam ingrediuntur. Nam etiamsi aliquid minus prospere successerit, Principi conquerendi ius non est, vt qui præcipuus fuerit consilij auctor; illi interim mussant, ac rem premunt, vtpote suffragatores seu adiutores. CLXVIII.

Nemo est qui adulationem non detestetur; plerique tamen in alijs damnant quod ipsi faciunt. Et quotusquisque est qui non sibi maxime adulatur? Quod quidem adulationis genus vt inprimis perni- CLXIX.

ciosum, ita quasi insensibile est, quum idē sit faciens ac patiens: & vbi impostor non videtur, impostura non metuatur.

CLXX. Qui magnæ famæ cupidus est, non modo suæ verum etiā omnium ætatum præstantissimos sibi proponere ad imitādū debet.

CLXXI. Inuidi nonnulli si quos è tenui conditione ad summos honores vel diuitias emersisse vident, totum hoc fortunæ adscribunt, eiusque vnam vnciam plus pōderis habere aiūt quam centum libras sapientiæ. Atqui ijdem non considerant, quantis illi laboribus, quantis periculis perfuncti sint: sine quibus raro preclari aliquid acquiritur. Frustra ergo Fortunam comitem exspectabit, qui virtutem ducem non habuerit.

Quamuis potentes plerique Reges ac Principes eum in fi-

nem,

nem bella suscipere soleant, vt regnorum suorum fines amplificent opesque augeant: nemo tamen eorum tam effrons est, vt id palam præ se ferat; sed caussas quisque pro se quantum potest iustissimas comminiscuntur: quæ si nullæ offerantur, aliam occasionem exspectant, immo obuiam quamque velut capillis arripiunt quod volunt innolandi. Et frustra sit qui eiusmodi homines obiecto quasi bolo, & decisa aliqua cum eis parte, placari posse speret. Nam & hol accipient; & reliquo inhiare nō cessabunt. Id ergo Reipublicæ consultissimum fuerit, vt tam contra vim quam insidias mature se præparent, nec quidquā ex metu facile concedant. *Audaces* enim, & eos qui sibi ipsi non desunt, *Fortuna* sæpe *iuuat, timidosque repellit.*

CLXXIII Intempestiuum, immo periculosum est, Principem aliquid ad quod toto fertur impetu, facere aggressum, vix dum cœpta re, retrahere velle; sed exspectandum est dum impetus ille deferbeat vt animo placido ac quieto salutaria consilia tanto facilius instillentur: & in his ipsis dandis summa modestiæ ac reuerentiæ erga Principem ratio haberi debet.

CLXXIV. Etiam Tyrannis nimis seruilis subditorum ac magistratuũ animus, in ceremonijs maxime & externo cultu displicet. Quo nomine Tiberius Romanus Senatores ridere & mancipia appellare solebat.

CLXXV. Repulsam apud Principem passus, quamcumque eius excusationem lubenti accipe animo, etiamsi frigidam valde ac

con-

confictam esse non ignores; idque vnice te persuasum habere simula, etiam ipsi Principi molestum esse quod gratificari tibi non potuerit, nihil tamen dubitare te quin propediem per aliam occasionem petitioni tuę satisfacturus sit. Hac enim tua confidentia excitatus ille spem tuam fallere pudori sibi ducet.

Ingrati animi beneficium Atheniensibus olim tam turpe atque exsecrabile visum fuit, vt lege lata beneficium ab ingrato repetere liceret. Quin & ab ijsdem lege cautum erat, vt si libertus ingratitudinis erga dominum vel patronum cōuictus esset, is domino rursus mancipio daretur, præcone publice proclamante: *Quoniam liber esse nesciuisti, esto seruus.* CLXXVI.

CLXXVI. Quia sæpe accidit, vt in diuturno aliquo ac sumtuoso bello vtraque pars pacem cupiat, neutra tamen, ne vel animis vel viribus deficere videatur, mentionem eius prima inijcere velit: occasionem hanc vicini maxime Principes ac Respublicę amplectentur, seque tanquam proxenetas vel arbitros interponent. Nam & facile quod volent, pacem scilicet, vtpote cuius pars vtraque vltro est cupidissima; & magnam apud omnes laudem consequentur.

CLXXVII. Omne negocium quod non nisi certis conditionibus ac pactis conuentis transigi potest, cum ijs tractandum suscipi debet, in quorum manu ac potestate est conditiones implere. Alias enim semper metus erit, ne alterutra pars si vel maxime ve-

lit, promiſſa tamen exſequi non poſſit; vel etiam interea (vt res humanæ facile mutantur) tale aliquid incidat quod factum omne infectum reddat.

Inuidia magis quam odio pauperes erga opulentos labo- rant, quum eos continuo affe- ctentur & reuereantur, ſpe ſci- licet vtilitatis vel fauoris. Ex quo intelligi poteſt maiorem eſſe vim atque minus incom- modum Neceſſitatis quam In- uidiæ, ſiquidem illa opem à quocunque exſpectare aut eti am petere non dubitat, qui mo- do eam præſtare velit aut poſ- ſit; hæc vero non modo nullam vtilitatem, verum etiam animo ægritudinē, corpori tabē, exiſti- mationi, atque etiam ipſi animę labem afferat. CLXXVIII. CLXXIX.

Populo, tanquam equo fe-

feroci, nunquam habenæ ita permittendæ ſunt, vt de ſumma rei poſſit ſtatuere. vt enim flumina ac riui quamdiu intra alueo ſe continent, prata agrosque rigant ac fecundos reddunt; ita populi auctoritas legitimis terminis circumſcripta, multum ſæpe prodeſt, ſed exorbitans, magna affert Reipublicæ damna.

CLXXX Non ſatis eſt nihil mali facere, ſed bonum facere oportet Virtus enim non tam in abſtinendo quam agendo conſiſtit. Et multi ſunt qui neminem lædunt, nec tamen laudem merentur.

CLXXXI Prudentes ac boni ciues non tam opes ac magnificentiam magiſtratuum admirantur quã eorum in adminiſtrandis officijs iuſtitiam atque integritatem. Hinc etiam bonos tam

Principes quam Magistratus optant, malos tolerant; atque ita sese erga illos gerunt, ne ex malis euadant peiores.

Boni ac patriæ amantis ciuis est, non solum consilijs & conatibus qui motus ac turbas in Republica cient, se non miscere, verum etiam pro virili obuiam ire, seque opponere. CLXXXI.

Omneis timet, quem omnes timẽt. Hinc ij qui vitę necisque in alios potestatem habent, vix vlla ratione saluti suæ vel securitati satis possunt prospicere. Illa tamen meo iudicio, optima est, vt potestate hac recte ac legitime vtantur, ad pœnam nempe malorum, & bonorum defensionem. Hoc vnum enim multo tutiores eos præstabit quã quoduis satellitium. CLXXXIX

CLXXXIV Vere ſapientis eſt non modo quid faciendum ſit oſtendere, aut de futuris rebus coniectu-ram facere (hoc enim Aſtrologi potius, illud ſcholaſtici doctoris eſt.) ſed etiam res iam præuiſas ita moderari ac dirigere vt commoda obtineantur, incommoda declinentur. Multi enim quæ bona & vtilia ſũt factu vident, facilem tamen boni conſequendi viam oſtendere non poſſunt.

CLXXXV Summæ prudentiæ eſſe iudico, ſi quis aliquid vehementiſſime cupiat, nec exſequendi ei deſit dexteritas, occaſionem tamen exſpectandam ſibi putet. Quum enim hæc in poteſtate noſtra non ſit, qui ſine ea rem aggreditur, totam eam Fortunæ tranſcribit.

SENTENTIÆ

Siue

Aphorismi Politici, ex classicis Auctoribus collecti.

EX THVCYDIDE.

GRauiores sunt plerisque Rebuspublicis magistratuum sordes ac ciuium auaritia, quam extraneorum deprædationes.

Tyrannis nihil gloriosum nisi tutum, & omnia retinendæ dominationi honesta sunt.

Inter vicinos crescens nimis vnius potentia suspiciones primum, post inuidiam, deinde bellorum parit semina; quibus tamen aliæ honestæ caussæ prætexuntur.

Sic inuidia potentiæ Atheniensium mouit bellum Peloponesiacum.

Vicinæ calamitates potius, quum licet, absque periculo spectandæ, quam sese illis absque grauissima caussa implicandum; ne tota clades in nos ipsos tandem, quamuis incendio tantum accurrentes, ab ipsis incendij auctoribus deriuetur.

Nec criminationibus nec laudibus eorum qui nos ad belli societatem pertrahere nituntur, facile credendum. *In oratione Archidami.*

Qui prospero bellorum successu inflatus est, ea quæ necessario post victoriam sunt cogitanda non cogitat. *In oratione Corinthiorum ad socios.*

Qui in societatem venit emo

lumenti, damni quoque ſocietatem recuſare non poteſt.

Ea Reſpublica facile vinci poteſt cuius vires ſunt extraneæ & mercenariæ.

Bella opibus ſuperfluis magis quam violentis collationibus gerenda ac ſuſtentāda ſunt. *Pericles.*

Bella inchoantibus & ſocietates veteres retinendæ, & nouæ comparandæ.

Bella conſilio, pecuniæ vi, & reſiſtendo potius quam aggrediendo conficiuntur. *Periclis dictum.*

Præſtat Rempublicam felicem eſſe, tutam ac locupletem, quam ſingulos ſeu priuatos. Illius enim vnius ſalute horum omnium ſalus continetur. *In eiuſdē oratione ad Atheniē.*

Consiliarium Reipublicæ vtilem oportet & ea nosse quæ facto sunt opus, & quæ cognoscit, explicare posse: tum Rempublicam vnice amare: pecuniam denique contemnere. *Idem ibidem.*

Diuturna quies à bellis extraneis non conducit potenti & bellicoso populo, sed infirmo. *Ibidem.*

Maritimæ ciuitati & Reipublicæ satis est etiam dum terra inuaditur, maris retinere imperium. *Ibidem.*

In bellis qui prior instructus & paratus prodit, magnas hosti commoditates eripit, & metû simul inijcit.

Amentia est, eos adoriri quos neque victor in officio retinere possis, & ad quos postea semel victus regredi non possis.

In oratione Niciæ ad Athenienses.

Hosti inuadere volenti si, vltro ipse occurras & tuis animos addis, & hosti detrahis. Hic *In Oratione Hermocratis ad Syracusios.*

Imperantium multitudo & domi & foris nocet. *Idem.*

Qui hostis multum nocuit, idem amicus plurimum prodesse potest. *In oratione Alcibiadis.*

Quæ, & à quibus consilia siue clam siue palam suggerantur, diligenter perpendendum, & prius quam fides illis habeatur diiudicandum: ne pro amico vel salubri consilio insidiosum afferatur.

Turpius est fraude etiam honesta circumuenire aut lædere quam vi aperta. *Brasidæ dictum.*

Qui federis desertores deserit, fedus violare dici non potest.

Qui multis federibus sese implicant, multum sibi negocij facessunt.

Temeritas prudentiæ inimica est, & raro felicem habet successum.

Difficilius est ferre æquo animo res secundas quam aduersas.

In ijs quæ à Fortuna dependent, etiam sapientes facile decipiuntur: quum hic rationi nullus locus sit.

Stulti rebus iam male gestis consilium rogare solent.

Qui spe sua sæpe falsi sunt, omnia timent.

Pauci sunt quibus præsentia satis placeant.

Consilia senum sunt, vires

iuuenum: quorum alterum si-
ne altero parum potest.

EX XENOPHONTE.

IS facile in societatem adducitur, cui nobiscum commune periculum esse persuadetur. *Sic Aßyriorum rex totam Asiam contra Medos concitat.*

Minime iniuria sunt afficiendi ab exercitu ij quos ad te traducere velis; vel à quibus commeatum accipere necesse sit. *Sic Cyrus præcepit.*

Repentina in bellis maxime terrent.

Nullæ vt tectiores, ita periculosiores in bello sunt insidiæ, quam quum ex composito aliqui in vtroque exercitu duces agunt tamquam valde infesti inter se sint hostes, quum tamen sint amicissimi, & vltro citroq;

alter alterius exercitum aggreditur, sed collusione nobis incognita. *Sic Cyrus egit cum Spadone.*

Cauendum primarijs in regno viris, ne se maiori comitatu aut populi beneuolentia ac fauore conspicuos cerni patiantur, quam ipsummet Regem, si modo tuti vivere & non suspecti Regi velint. *Cyaxaris.*

Durissimi hostes duo sunt, & à nullo exercitu expugnabiles, Fames & Frigus. *Cyri dictum.*

Optima Principis custodia firmissimumque satellitium, eorum virtus, & subditorum beneuolentia. *Cyri sententia.*

Vna fidelitas & veritas, inter reliquas virtutes plurimos regibus conciliat, tum domesticos tum extraneos: Perfidia

vero multos ab eis auertit, & ex amicis hostes reddit capitales.

Bonorum Reipub. institutorum atque sanctorum morum duæ teterrimæ pestes ac corruptelæ sunt : publica voluptatum licentia, & pecuniæ congerendæ seu auaritiæ laudatum tamquam rei honestæ studium. *Id est, duo maxime contraria vitia, Luxus & Auaritia.*

Numquam clemens erit erga extraneos, qui crudelis est in suos.

Qui fit à potente Principe nouus belli apparatus, debet omnibus vicinis esse suspectus. *De Dario Mardonium cum nouo exercitu in Græciam mittente.*

Qui omnia pericula timet, nihil aggreditur; qui nulla, facilime perditur. Præstat tamen alacriter aggredientem, sibi quædam pericula proponere, quam in re qualibet metuentem, nihil periculi in re vlla suscipienda velle subire. *Xerxes ad Artabanum.*

Nulla fortior necessitas, vel excusatio verior est, quam imbecillitatis virium. *Thessalorum ad Græcos responsum.*

EX SALLVSTII Oratione *De Republica Ordinanda.*

Vsque eo prosperum est imperium dum in eo vera consilia valent, vbi gratia, timor, voluntas, auaritia illud corrupere; primum imminuun-

tur illius opes, deinde etiam ipsummet imperium perit.

Malum facinus in se committit, qui incommodo Reipublicæ gratiam sibi conciliat.

Imperium & consilijs fortibus, & prœlijs felicibus retinetur.

Bellicoso populo quies diuturnior nocet. iusta tamen semper bella esse oportet quæ suscipiuntur.

EX T. LIVIO.

VEre sapiens est qui tam sibi quam alijs profutura nouit.

Semper timent quibus Fortuna sæpe fuit aduersa.

Vbi necessitas iubet, consultatione ibi non est opus.

Et facere & pati fortia, strenui viri, & ciuis, & militis est.

Quæ responsa semel vel graues controuersias finire, vel bella excitare possunt, non sunt statim danda, quamquam possunt, sed differenda, & per Legatos eosque honoratissimos postea ad præparatos iam ante perferenda danda sunt. *Sic Romani ad Porsenam.*

Bella externa ingruentia domesticos sedant seditiosos. *Sic Romæ sæpius contigit. Vnde Lucius*: Externus timor est magnum concordiæ vinculum.

Potius deest ars excellentibus ingenijs qua ciues regant tumultuantes, quam qua hostes superent.

Parum tuta est sine plebis viribus & populi consensu maiestas, seu publica dignitas.

Difficultas est moderationi

tuenda libertate. Nam dum vnusquisque ordo cauet ne alium metuat, metuendum se vltro ipse efficit; & ita se quisque extollit, vt deprimat alium. Inde seditionum seges, in Rebus publicis maxime. Proinde omnis contentio ab exteris communi consensu delectis statim sopienda est.

Vel infelix bellum paci quæ domi seditionem mouet, est prę ferendum. *Senatus Romani sententia.*

In bellis vt nihil timendum quod sit minimum, ita neque contemnendum. *Camillus.*

Seditiones domi continuæ vicinos nostros alioqui quieturos ad bellum nobis inferēdum excitant. *Sic Romæ.*

In magnis animis silentium

post ignominiam aut iniuriam acceptam, non patientiæ indicium est, sed vindictæ meditatio. *Sic Offilius de Romanis.*

Qui vitam ab hoste precariam possidet, viuit in miseria, & moritur cum ignominia.

Frustra adspirat ad honores qui recusat labores.

Vere bonus est qui sibi & alijs bonus est; qui sibi tantum, ex dimidio bonus est, aut forte ne bonus quidem.

Vanum est robur militum, & frustranea ducum prudentia in exercitu comeatibus destituto.

Pœnitentia Temeritatis est pedissequa.

Grauius est regno expelli, quam regni consequendi spe fraudari.

Operosius est imperium seruare quam accipere.

Inutilis est post factum Pœnitentia.

Multis nimium rei alicuius consequendæ desiderium obstitit, quominus id quod tam misere cupiebant, consequuti sint.

EX HERODOTO.

Raro bene succedunt quæ male deliberata sunt.

Cui confidentia superest, ei prudentia deest.

Veritatem Principes celare non modo non tutum, sed & valde periculosum est.

Inanes Principem sumtus, & ambitiosa eorum cœpta non tantum subditos vexant & exhauriunt, sed ipsosmet adeo Principes ad inopiam tandem

redigunt, & ſcelerata ad cogendas pecunias conſilia capere cogunt. *De Cheope Ægypti rege.*

Quamquam Principem, vti reliquos mortales, à grauioribus curis animum remittere, ſeque exhilarare fas eſt; tamen ne in ſcurrilitatem incidat, illi cauendum eſt; aut ne eas animi relaxationes, ludos & iocos coram omnibus, ſed tantum paucis, iiſque amiciſſimis, exerceat: ne ſui pariat contemtũ *De Amaſi propterea reprehenſo.*

Ob læſam enormiter pietatem multi Principes iuſto Dei iudicio ad inſaniã redacti ſunt. *De Cambyſe poſt occiſum Apim. & alia ſacrilegia.*

Magnatum vel plures, vel vnus qui inter eos potentior eſt, à

Prin-

Principe temere lęsus atque irritatus, facile ceteros ad conspirandum impellit. *Do Prexaspe læso, & de Smerdi occiso à Cambyse.*

Iracundo Principi vix ac ne vix quidem consilium tuto dari potest. *Sic Cambyses iratus Cræso.*

Magis gratificatur is qui ea quæ nobis abstulit benigne reddit, quam qui nihil abstulit, ac propterea nihil reddit. *Polycratis sententia.*

Miserijs & publicis cladibus vel perseuerantibus vel crescentibus, est inutilis, immo stolida resistendi pertinacia. *Filia Periandri.*

Auxilij ferendi prætextu sæpe alienas regiones inuadendi & scrutandi consilium tegitur. *lib 5. de Aristagora.*

Cauendum ne cuiquam, quantumuis bene de Republica merito, tale quidpiam tribuatur quod vel in præsens vel in posterum Reipublicæ pacem turbare possit. *Sic Darius Hystieo factum donum reuocauit.*

Periculosum est Reipublicæ in eius quem ipsa offendit, aut qui ab ea offensum se putat, manus & imperium deuenire. *De Miltiade, & Chersonesiis ab eo victis.*

EX C. CORNELIO TACITO.

Tyrannorum est, vultus hominum in crimen trahere, adulationes supra modum

requirere, verba consiliariorum publicorum captare, delatoribus aures præbere, iudicia hominum de se qualiacumque, aut liberas de Republ. voces pro crimine, denique bonos omnes suspectos habere. *Talis Tiberius.*

Reipublicæ Ordinum ac Procerum ad Principem nimis humiles preces & seruilis adulatio, eum ex bono Principe faciunt Tyrannum. Sua enim à Concilio publico etiam in Principem auctoritas seruanda est. *Sic Tiberius Senatum Romanum ipse irrisit, Homines ad seruiendum natos appellans.*

In vulgo nihil modicum. Terret, ni paueat; vbi pauere cœperit, impune contemni-

tur. Tamen vbi & eſt collectum & adhuc armatum vulgus, comitate permulcendum eſt, non armis & fautioribus remedijs iritandum.

Qui in rebus ſecundis ferui-di & feroces eſſe ſolent, in aduerſis ſunt incauti & nullius conſilij.

Principum virorum ac procerum nimia in honoribus ambiendis feſtinatio, dum primo æquales, deinde ſuperiores, poſtremo ſuaſmet ipſi ſpes anteire parant, eos funditus tandem perdit.

Noſcenda populi quem regere vis, natura eſt: quique eam callet, prudens dicitur.

Aulicorum Reipublicæ aut regni gubernacula affectantium hæ ſunt artes: quod Principes à rebus publicis cogno-

ſcendis auertunt, illiſque voluptates pro huiuſmodi tædio obijciunt; aut in ſeceſſus procul à concilio publico abducũt. *Sic Seianus Tiberium, & alij alios noſtro tempore.*

Libera & ferocia ingenia magnis patent inſidijs. *Sic Druſus vterque, filius, & nepos Tiberij.*

Exteri milites mercenarij & cuſtodes corporis facile fiunt Regibus miniſtri ſcelerum.

Tributis non ſunt onerandæ prouinciæ quæ bellis & militum iniurijs fuerint vexatæ & depopulatæ. *Sic Claudius Byzantios.*

Tenera adhuc Principis ætate, prodeſt aduerſus eos qui ſub nomine Principis impotenter, auare vel crudeliter impe-

rant, alios qui moderati sint, & mansueti ingenio, & inter se concordes, opponere ac Principi admouere. *Sic Agrippinæ oppositi Burrhus & Seneca.*

In nouis cœptis fama validissima ad multos nobis conciliandos. *Sic Corbulo ea vsus.*

Ministri vel subditi qui à Principe metui velit, infelix semper est exitus *Talis Pallantis & Agrippinæ fuit.*

Multorum ingenia in pace & ocio lasciuiæ & luxui dedita, muneribus demandatis sese emendant, & ad bonam frugem conuertunt. *Sic Otho sub Nerone.*

Ducis hæc belli summa prudentia, vt vtatur clementia in supplices, celeritate aduersus fugientes, seueritate aduer-

ſus ſe ſubducentes vel occultantes. *Sic Corbulo in Armenia.*

Præſtat ſub malo Principe eſſe quam ſub nullo. *Exemplum bellorum ciuilium poſt mortem Neronis.*

Difficile eſt plebi vel totam libertatem pati, vel totam ſeruitutem.

Creditum vel ad breue tempus mendacium plurimas rei præclare gerendæ occaſiones corrumpit. *Sic falſo credita Othonis cædes Galliam perdidit.*

Nullus cunctationi locus eſt in eo conſilio quod non poteſt laudari niſi peractum. *Otho.*

Infelicia ſunt conſilia quæ capiuntur tunc quum eorum

tempus effugit. *Tacitus.*

Vt belli, præſertim ciuilis, initia euentunt, cetera poſtea creduntur. *Cæcina.*

Multa bella primo impetu valida, per tædia & moras euaneſcunt. *Suetonius Paullinus.*

EX C. PLINII *Secundi Panegyrico ad Traianum.*

NVllum eſt præſtabilius & pulcrius Dei munus erga mortales quam caſtus & ſanctus Deoque ſimilimus Princeps.

In Conſiliario Principis tria maxime requiruntur, Libertas,

Fides,

Fides, & Veritas.

Princeps vt se hominibus imperare norit, ita seipsum quoque hominem esse cogitet.

In principe tres maxime virtutes prædicantur, Pietas, Abstinentia seu Temperantia, & Mansuetudo seu Comitas.

Tyranni quando laudantur verarum virtutum nomine, tanto magis vitia sua exprobrari sibi, seque irrideri putant: vnde irascuntur.

Quod factum, magnopere placet, placebat etiam antequam fieret. Itaque hac ratione animus & voluntas Principis antea lateas detegitur.

Assuescere debet princeps cũ Republica calculum ponere, &

expensi acceptique rationem illi reddere.

Bonus Princeps cum ciuibus velut cum liberis suis versari debet.

Affabilitas digna est Principe virtus.

Princeps plebe', neglecta, Rempublicam tueri non potest.

Sub bono Principe fisci mala caussa est.

Malos Principes detestantur etiam ij qui malos faciunt, & malos esse optant.

Vita boni Principis censura est ciuium.

De nullo fere Principe minus queruntur homines quam de quo maxime licet.

Sub bono Principe malos absque periculo insectari licet.

Numquam à quoquam de

ceptus est aut decipitur Princeps, nisi qui prius alios ipse decepit.

Diligi Princeps, nisi ipse diligat, non potest.

Honestius est ad posterorum memoriã, optimum dici Principem quam felicem. Illud enim est virtutis, hoc fortunæ.

EX AGAPETO.

Quo quis maiorem in Republ. dignitatem consequutus est, eo Deum colat humilius.

Hostes armis domantur; subditi humanitate & beneficentia deuinciuntur.

Qui malos tolerat, eorundem vitijs participat.

In consilijs capiendis rationum momenta expendẽda sunt, non Logodædalorum eloquentia attendenda.

Nullum est leue Regis vel Principis iussum. ideoque etiam minima bene prius perpendenda sunt quam iubeantur.

EX PLVTARCHI LIBRO

De Ciuili Administratione.

AD Rempublicam capessendam non temere, sed certo animi iudicio, non gloriæ aut opum gratia, sed eo animo vt ciuitati prosis, accedendum est.

Populi quem regendum susceperis, mores inprimis noscẽdi; nec, licet mali statim illi, sed pedetentim mutandi.

Rempublicam capessens ea vitia quæ maxime apparent, quamprimum mutet; postea vero reliqua.

Licet populus malis vtatur hominibus ijſque ad tempus faueat; tandẽ tamẽ eos recte cognitos repudiat atq; aſpernatur.

Duæ ſunt ad dignitatem in Republica adipiſcendam viæ. Vna breuior; Magni nimirum alicuius facinoris ſuſceptio effectioque. & hęc quidem periculoſa eſt. Altera longior, ſed tutior; Munerum ordinariorum, & quæ nos populo commendant, honeſta & diligens adminiſtratio.

Rempublicam capeſſens omnes inimicitias ac ſimultates deponere debet; minime vero eas etiam cum Reipublicę damno vltum ire.

Ciuis nullus pro inimico habendus, niſi ſe Reipublicæ hoſtem aperte profeſſus fuerit aut geſſerit.

Ex Philippo Cominæo.

Princeps ſua negotia ipſe nō tractans, facile ſubuertitur & vtilia ſibi conſilia rupudiat. *Comminius in ſecunda parte, cap. 44. in fine, & 45. & 47.*

Princeps minime œconomus, ſed ſua temere donans aut diſſipans, paulatim ſe ſuoſque exhaurit, ac deſeritur etiam à ſuis domeſticis. *Comminius capit. 63. de Henrico Rege Caſtillia.*

Illi inprimis ſunt conciliandi cuiuis Principi, qui apud alterum principem poſſunt plurimum auctoritate, vel prudentia, vt illius vicini Principis tum conſilia facile detegantur, tum conatus auertantur. *Comminius ca 61. de Domino de Leſcut.*

Qui ſubditus Principem ſuum metu ſic terret, vt Princeps ab eo pendeat, ipſe vero aucto-

tatem sibi principis trahat, infelicem exitum habet tandem. *Comminius ca. 47. & 61. De Comite Sancti Pauli. & cap. 62. de Comite VVaruici.*

Raro aut nunquam tota summa rerum est prœlio committenda. In quo qui victus erit, statim spectet & exequatur quidpiam, quo suorum animos erigat. *Comminius ca. 29. & 32. in fine, 35. in fine, & 36. vbi copiose.*

Magna mutatio rerum sequitur ex victoriæ etiam paruæ momento. *Comminius in secunda parte ca. 12. De Sesanna capta.*

Bella inter Principes potentes facile excitantur, difficile inter eosdem sedantur. *Comminius cap. 33.*

Indictiones fiunt propter ne-

cessitates Regni. Reges autem dominio suo contenti esse debent, ad se & totam familiam exhibendam *comminius in secunda parte, cap. 51.*

Princeps summus ne alterius summi Principis, maximè cum quo antea vel bello vel verbis contendit, potestati vnquam (si fieri potest) sese committat. *comminius cap. 33. Francisco Regi malè cessit. Ludouico quoque vndecimo, qui se commisit Carolo Duci Burgundiæ. Dauid Gethaorum Regi male se commisit, Carolus simplex Comiti Veromanduo. cap 36.*

Legati externi honeste quidem excipiendi; verumtamen & obseruandi & cito dimittendi *comminius cap. 57.* & ijdem, si potes, in tuas partes trahendi. *Comminius cap. 70. De feciali*

Angliæ.

Princeps facilè vel decipitur, vel deijcitur, qui ex alieno & imprimis ex vnius duntaxat consilio & virtute pendet. *Sic olim dux Britanniæ. comminius cap. 61. de Eduardo rege Angliæ. cap. 44.*

Consiliarij bellorum fautores & conflatores, à Deo puniuntur *comminius cap. 61.*

Princeps facilè euertitur, qui nullo nisi suo ipsius consilio vtitur. *Sic Carolus Carolesius periit. comminius cap. 94 in fine*

Parricidium vel crudelitas Principis non manet impunita. *comminius ca. 63, ca. 139. de Lanceloto: ca. 132. de Richardo rege.*

Principũ fraus punitur à Deo *De Comite Sancti Pauli com.*

minius vbique.

Hosti ambitioso danda est plura quam efficere possit, amplectendi occasio. *Comminius cap. 63. de iudicijs prorogatis Comiti Carolesij.*

Infidelitas (quod non timentur Dei minæ) est fons & causa in Principibus eorum scelerum quæ perpetrant. *Comminius cap. 111.*

Absque Ordinum Reipub. decreto nihil magni momenti decerni est æquum. *Comminius cap.* 64.109.

Irrumpentibus hostibus vicinis sunt loca illis obiecta munienda præsidijs validissimis; non autem acie statim decertandum. *Comminius cap.* 64. *Sic Rex Galliæ Ludouicus vndecimus.*

Regis est pauperum querelas

audire, ijſque ius dicere. *Pſalmo 72. Comminius in ſecunda parte cap. 51.*

In omni calamitate cogitatio ac conſilium de fama & exiſtimatione nominis conſeruanda debet poſtponi conſilio de ſeruanda rerum ſumma, & tota Republ. *Exemplum Maximi Fabij: exemplum Caroli Caroleſii in obſidione Nueſij. Comminius cap. 65. & 68. in fine operis.* Nam ad quem lucrum belli, ad eundem laus quoque belli pertinet. *cap. 94. abunde. Item cap. 73. in fine de Ludouico petente pacem.*

Occaſiones quæ ſponte ſe offerunt, aut diu quæſitæ ſunt, non omittendæ. *Comminius in ſecunda parte cap. 47. de Duce Aureliano.*

Factionum & nouorum consiliorum auctoribus & Principibus re ipsa, id est, ipsa experientia demonstrandum, quid & quantum mali ea ratione pareant & postulent. *Cominius cap. 79. de duobus Anglis quos secum Rex Angliæ trans mare in Galliam deduxit.*

In singulis Rebuspublicis vnam esse Metropolim vrbem necesse est, quæ sit summę auctoritatis. Facilius enim eius exemplo ceteræ parent & continentur in officio.

Vrbs Metropolis vt sit maximæ in toto Regno auctoritatis, constituat præcipuum pietatis exemplum & sacrarium: item vltimus iuris administrandi & dicundi forus & gradus: denique, honoratissima maiestatis regiæ sedes. *Psal.* 112. *Amos* 7. *ver.* 13. *Roma item & Ierusa-*

lem hæc omnia habuit. Maxime enim hæc tria fauorem hominibus conciliant.

Potentissimum ac fortissimũ regnũ est, cuius Prouinciæ omnes situ & finibus inter se coniunguntur. *comminius ca.* 81.

Crudelitas Principis à Deo vindicatur. *comminius ca.* 112. *De Richardo rege Angliæ. 2. parte ca. 1. de rege Ferrando Neapolitano, & ca.* 17.

Nullum Principum aut Reipublicæ scelus tandem Deus relinquit impunitum. *commin. c.* 82. Nam cum maxime florens & quietus eorum status videtur, tunc calamitates à Deo immittuntur. *Comminius c. 111. in fine. & ca.* 112.

Principes durius à Deo, quam priuati puniuntur. *comminius*

cap. 111. *& in 2. parte cap.* 49. *in fine.*

Ab acquisitis de nouo subditis debent clementer tributa & lenius exigi, quam sub prioribus principibus. *Comminius cap.* 84.

Periuria Principum & hypocrisis punitur à Deo. *Comminius in 2. parte ca.* 47. *De rege Castiliæ, & cap.* 48. 49.

Cum victoria de hostibus sæpe ex leui occasione contingat, prudenter acies instruitur sic, vt qui primum in acie stãt aut hosti occurrunt, sint strenuissimi atque non facile perterreantur. *Comminius ca.* 5. *de victo carolo Carolesio ab Heluetÿs.*

Amissum prœlium multa in commoda sequuntur. Itaque raro de summa rerum tota prœ

lio decertandum. *Comminius dat exemplum in Carolo duce Burgundiæ ca. 85. & ca. 87. 89.*

Reſpublica felix, in qua qui imperat Princeps, timet Deum. *Comminius in 2. parte cap. 49. in fine.*

Nimia vindictæ cupiditas etiam poſt calamitatem acceptã ſæpe Principes funditus euertit. *Comminius cap. 88. & 90. in fine.*

Obſeſſæ vrbi mature ſuccurrẽdum, præſertim vbi qui dux ſtrenuus in ea eſſe cenſebatur, vrbemque tuebatur, extinctus eſt, *Comminius cap. 90.*

Non auditis ijs qui arcana ſe prodituros pollicentur, ſæpe magnæ occaſiones præteruolãt. *De Cifrone ſuſpenſo, Comminius cap. 92.*

Non quiuis focij, ſed potentes aſſumendi ſunt, quorum ſocietas non ſit nobis oneroſa, ſed auxiliaris. *Cōminius in 2. part. ca 47. de Italis.*

Fides violata cuicunq; fuerit data, tandem à Deo punitur. *Comminius cap. 92. de Carolo Caroleſio.*

Pugnæ ſeu prœlio nulli, qui nobis ſuſpecti, aut qui aliorum fuerunt proditores, intereſſe concedantur aut permittantur. *Comminius c. 9. de Cāpobacio. itē de 300. Numidis in Cannēſi pugna. Ganelon in exercitu Caroli Mgni David à Philiſtæis reiectus.*

Cura de caſtris recte circundādis & claudendis in exercitu & militia ſit Principi præcipua.

Sic Romani. Sic Carolus Caroleſius. Comminius c.92.

In rebus dubijs ac periculis imminentibus eæ conditiones accipiendæ, quæ aliquid ſpei certæ relinquunt. *Comminius in 2. part. ca. 44. & 47. de Rege Carolo.*

Legati ad exteros Principes miſſi magnam in rebus & ſtatu illorum Principum cognoſcẽdo prudentiam & diligentiam adhibeant, ne quid poſtea ſuadeant ſuis principibus à quibus mittuntur, inutile, aut falſum. *Comminius c.93. in fine.*

Ingratitudo ſeu impietas Principis ſibi non autem Deo. laudem ſuæ potentiæ felicitatis tribuentis, tandem à Deo puni, tur. *comminius capite 95. Ca-*

rolus Carolesius, & *ca.96.*

Tyrannorum exitus fere sunt tragici. *Cominius ca. 135.* Nam vbi regnatur tyrannice, populus res nouas experit. *Comminius in 2. parte, cap. 4.* Quem oderunt, perijsse cupiunt. *cicero lib. 2. Officiorum.*

Principem dat populis Deus, prout eos vult vel castigare, vel subleuare. *comminius ca. 96.*

Consiliarij mali, aut Principis ipsius iudicium imminutum, est magnum Dei in Regnum iudicium. *cominius ca. 111*

Assentatores non quæ conducunt sed quæ Principi placent ac grata sunt, consulunt. *comminius cap. 94. Agapetus præcepto 22. 32.* Itaque à fidelibus consiliariis discernendi. *Agapetus. 59.*

Cauendum Principibus, ne

nimia & inexſpectata proſperitate inflati bona conſilia, quæ prius omnino conducere ſciebant, repudient, aut mutent. *De Ludouico vndecimo. comminius ca. 99.*

Principes tum maxime Deus eripit ex hoc mundo, vel euertit, quum magna moliuntur, ſibiq; videntur feliciſſimi. *comminius in 2. part. c. 50. de rege Carolo. 8.*

Magna cœpta magno exactoque conſilio ſuſcipienda. *comminius c. 100. 124. de Duce Maximiliano.*

In magnis cœptis exequendis non tantum audacia, ſed etiam conſtantia, virtute & quidem extraordinaria opus eſt. *comminius c. 102. & in 2 part. c. 8. Sic carolus 8. in expeditione Neapolitana.*

Diſcordiæ hoſtium augendæ vt creſcas. *Comminius de Ludouico* II. *& Gandauenſibus, cap.* 105.

Obſidio ſummis viribus & exercitu ſemper magno vrgeatur, vt ſit, quam poteſt fieri, citiſſima expugnatio. *Comminius ca.* 129.

Vicini Principis ruentis porti unculas vicini Principes varijs modis & modis ſemper decerpant. *Exemplum in Venetis. Commin. in 2. part. ca.* 46.

Beneficentia maxime commendat Principem, illiq́ue multos conciliat. *Agapetus* 38. 44 47. 63.

In ſedulos & fidos ſit princeps liberalior, quam in ceteros. *Agapetus* 39. 47.

Principes ſemper metuunt ne ipſorum auctoritas vllo pacto

imminuatur, *Comminius in 2. part. c. 45.*

Populus si læsit principem suum, sit humillimus, & placet eum magno obsequio.

Suspiciones & detractiones in principum aulis sunt & ipsis Principibus, & eorum famulis causæ magnorum malorum. *Comminius in 2. part. ca. 45.*

Cuique regno Deus aliud vel regnum, vel oppidum vel Principem vicinum & æmulum opposuit, tanquam contrarium & frænum, quo temperatior sit vtriusque potestas cohibeanturque *comminius c. 107, in fine & 108.*

Regis sapientis est inquirere ea quibus illi suspicio inijcitur: non autem ea celare, eamque suspicionem alere *comminius in 2. part. ca. 45. in fine.*

Iustum est militem, cui sua stipendia persoluuntur, à vi & concussione prohiberi, vel puniri. *comminius cap. 109. circa finem.*

Honestæ conditiones & piæ repudiatæ nequicquam postea poscuntur, imo à Deo vindicãtur. *comminius in 2 parte, ca. 44. 47. 93.*

Vltra domanium Princeps nihil potest iuste & absque tyrannide exigere à subditis, nisi eorum consensu & concessione *comminius cap. 108. in fine, & 109. & 140. de Imperatore Turcarum in fine.*

Fortior est Princeps & exteris formidolosior, qui ex sui populi consensu & consilio bella gerit, & administrat res regni, quã qui suo ipsius duntaxat

cnsilio. *comminius ca. 108. in fine & ca.110.*

Bella quærentibus & fouentibus multa ſemper infortunia accidunt, multæque clades. *comminius c.108. in fine.*

Senatorum, Conſiliariorum, aut Præfectorum belli auaritia in quouis ſtatu Reipub. non tantum ignominiam, ſed etiam exitium Reipubl. accerſit, *comminius in 2. parte c.46. De Antraguio.*

Ordinum regni cuiuſque debet eſſe ſumma auctoritas. *commin. c.108. in fine, & 109. &* 110. etiam in extraordinarijs exactionibus aut tributis indicendis. *comminius ca.129.*

Vbi protelatione opus eſt, nõ ſtatim reſponſio danda, ſed promiſſis & legatis ſemper nouis, qui ſuperius cum alijs acta ne-

ſcant, eſt agendum *comminius cap.11.*

Coniugijs ſunt regna ditiones que vicinæ quantum fieri poteſt, noſtris adiungendæ. *comminius c.*11.*&* 117. *de Ducisſa Burgundiæ.*

Externi Principis, itemque comitatus illius mores, victus, & habitus vix ac ne vix quidem tolerantur diu, niſi ſe ad ſubditorum mores accommodet. *Comminius c,* 117. Omnino vero ſi eiuſdem Principis comites ea officia & adminiſtrationes regni, quas indigenæ tenere ſolent, petant aut habeant, ſequitur ſeditio periculoſiſſima.

Miſerrima eſt eius populi conditio, qui peregrinum Principem eligere cõpellitur, quod indigenis ad regnandum aptis careat: *comminius ca.*118:

Litium multitudo & pragmaticorum numerus in dies minuidebet, vt sint diuites priuati inquouis ordine. *Commin. c.12, de Ludouico rege vndecimo.*

Principem successurum plures spectant, colunt & admirãtur, quam senem principem iam caducum. *comminius cap. 137. Pompeij dictum.* plures aspiciunt solem Orientem quam occidentem.

Deus dat regna, & adimit *Daniel. 3. comminius c. 138.*

Principum vita est plena curarum, sollicitudinis & laboris. *Comminius cap. 137. 138.*

Bella sæpe extraordinario quodam motu, qui à Deo datur principib., suscipiuntur. *comminius in secunda parte capite 1.*

Inter pares eiusdem Reipubl. Proceres aut Officiales facile nascitur inuidia, sic vt eorum alteruter sit abigendus. *comminius in 2. parte, ca. 2. de Ludouico & S. Seuerino, Ioab & Emasia.*

Sumptus vrbium inutiles perniciosaque commerci interdicantur & tollantur. *Cicero ad Q. Fratrem*, quales qui in templa superflua & monumenta priuatorum, ludos scenicos & theatra fiunt. *Cicero.*

Mercatoribus, à quibus pecuniam accepit Princeps, seruet fidem. *comminius in 2. par. c. 9.* vt postea mutuam pecuniam accipere possit.

Exercitum temperantem esse oportet, præsertim inter eos qui nobis fauent & conciliandi sunt. *comminius in 2. par. c. 11.*

Popu

Populi armato furori cedendum est ad tempus. *comminius in 2. parte. De Petro Mediceo cedente.*

Discordiæ in exercitu iam dilabente sunt certissima extremi eiusdem exitij auguria & præsentissima. *comminius in 2. parte, c. 46 de seditione orta in exercitu Monÿpenseri in Neapolitano regno.*

Tyrannorum familiæ vllæ vix 120. annos totos vnquam regnarunt, aut durarunt. *comminius de domo Medicea in 2. parte, c. 13. Aristoteles in politicis.*

In Aristocratico statu cauendum, ne vnius familia nimium diu regnet, & gubernet. *vti Florentiæ Mediera. Comminius in 2. parte, c. 13.*

Vbi

Vbi neutra pars in pacta vel conditiones positas consentit, media quædam via aut personæ vtriq; venerandæ eligendæ aut proponendæ sunt, qui postulata temperent. *commminius in 2.parte.c.41.*

Cùm populi peccata punire vult Deus excitat hostem cui resisti non potest, & cui omnia ex voto succedunt *Tota historia expeditionis Caroli 8. Regis Francorum Neapolitanæ in 2. parte Chronicorum Commin. cap. 15. 16.17.*

Impietas principum punitur à Deo *comminis de Regibus Neapolitanius in 2. parte,*

Populi vox, vox Dei. *comminius in 2.parte,cap.17.*

Princeps crudelis nunquam strenuus & fortis *comminius in 2.parte,cap.17.*

Vincendum & victoria vtendū celerrime, nihilq; victor propterea remittat de sedulitate & diligentia. *comminius in 2. par. ca.20.*

In nouo regno non temerè veteres officiarij deponendi. *comminius in 2. parte, cap.54. de Ludouico XII.*

In nouo regno, & populo & nobilibus gratificandum est. *Comminius in 2. parte cap. 20. & 34.*

In nouo regno sunt omnia acte & diligenter disponenda & munienda, *comminius in 2. part. c.24.*

Plures hostes simul non iritandi, præsertim in periculo eminenti: sed æquis conditionibus illi placandi, aut paciscendū cū æquiore. *cōmin. in 2. par. c25. & 26. de duce Aurelio: & c.27. vbi de Genua agitur.*

Vires exercitus in periculo non minuendæ, ſed colligendæ. *comminius in 2. parte, ca. 25. & 26.*

Cum bella à veris Dei ſeruis ſunt prædicta vel probata, ea res magnum in animis hominum, vt victoriam ſperent & fortiter pugnent, habet momentum. *comminius in 2. par. c. 25. de fratre Hieronymo.*

Coniugia inceſtuoſa etiam in Principibus à Deo punita. *comminius in 2. parte, ca. 46. in fine.*

Opinio de maioribus hoſtis viribus timorem & cunctationem dimicaturis ſæpe periculoſam inijcit. *comminius in 2. parte, ca 30.*

ISAGOGE

Ad Rempublicam seu Principatum recte administrandum.

CAPVT PRIMVM.

Tria sunt præcipue, quibus ceu fundamentis vniuersa omnium imperiorum moles innititur, atque incumbit.

Consilium, Vires, Auctoritas *Hæc eadem partes sunt, vt Philosophi loquuntur, essentiales, quibus Princeps efformatur.* Cōsiliu quid. *Consilium voco, id rectæ rationis lumen, quod imperandi adminicula siue instrumenta Principi commonstrat. Ea sunt: sagacitas in pernos-*

cendis subditorum ingeniis; Prudentia in ferendis legibus ad eorum captum & mores accommodatis; Disciplina in constituenda re militari; Ars belligerandi, Pacis tuendæ industria; diligens aduersus subita casuum Præparatio; forma amplificandi imperii; in statibus exæquandis Iudicium, temporibus obsecundandi Dexteritas: Maturitas in deliberando: in exsequendo Celeritas; in agendo Constantia; animi in prosperis æque & aduersis Aequitas ac Moderatio; rerum diuinarum & ad Religionem pertinentium cognitio & cura tanta, vt nec superstitio meticulosum & inquietum, nec licentia securum reddat. Ad

vires sex hæc pertinent: subditorum Amor & Beneuolentia, imperij Antiquitas, Amplitudo, vires Vnitæ, Arma, Opes. Auctoritas est Fama illa præclara siue efficax Opinio de Prudentia & viribus Principis inter alios populos ac Principes sparsa, animisque concepta. Quum vero trium harum vocum latissime pateat significatio, ac varias res vnaquæque complectatur; singulas seorsim enucleabimus, hancq́; omnem Dissertationem in treis partes diuidemus, in quarum prima de Consilio, in secunda de Viribus, in tertia denique de Auctoritate disseremus.

CAPVT II.

Consilium proprium esse principi pernecessarium.

Cõsilium duplex.

CONSILIVM, *quo Principem vti volumus*, *duplex est*, Internum *siue* Proprium, & Externum *siue* Alienum. Internum *illud est, quod in ipso Principis animo nascitur, & à sua ipsius intelligentia ac iudicio producitur*. Externum; *quod ab ijs datur qui prudentiæ opinione ad hoc munus sunt delecti. Primæ notæ ille censendus est, cui quod opus est ipsi venit in mentem; secundæ, qui bene monenti obtemperat; extremæ qui nec ipse consulere, nec alte-*

riparere scit. Mediocritas illa in Principe quidem locum non habet. Si enim subiipsi non sapiat; aliorum Consilijs tanto facilius pessum dabitur. Nam aut ij quorum consilijs vtitur, & ipsi erunt imprudentes, (quod plerunque contingere solet. Pares enim, vt est in prouerbio, cum paribus facilime congregantur) atque hoc pacto tanto celerior erit ruina quãto plures imperij machinæ manus admouerint, eundemque vnà cum Principe impulerint. Aut si vel maxime ij hoc nomine & officio digni fuerint, & ad tantũ imperij onus sustinẽdum idonei; ne sic tamen quidquã recte fiet, quum in Principe imprudente nec Iudicij satis

ſit ad vidēdum ea quæ ex rebus deliberatis factu optima ſunt; nèc auctoritatis ad ea perficienda. Præterea inter Principū Conſiliarios æmulationes plerumq; & diſcordiæ exiſtunt: quumq; diuerſos ſibi quiſq; fines habeant propoſitos, publica fere conſilia ad priuatas dirigūt vtilitates, varijsq; artibus ſuis magis augendis dignitatibus quā Principis honori atq; exiſtimationi velifi cantur. ex quo fit vt Princeps imprudens ac taliū artiū ignarus, miſerè decipiatur atq; in præceps detur. Huc accedit quod in hominibus ſapiētibus & cordatis nū quā is eſt aduerſus ſtupidioris ingenij Principem amor qui in bonis Conſiliarijs requiritur. Ita enim comparatū eſt ut vi-

tia contemtū pariant; contemtum odiū sequatur. hinc quāto quis sapientior est, & melior, tanto magis hominis fortuna sua indigni imperiū detrectat. hinc fides quoq; labascit; quæ si desit Cōsiliarijs, incautus Princeps aut vēditur, aut velut mobile lignum alienis neruis quo quisq; volet ducitur. Det igitur operam Princeps vt intelligant oēs administrando imperio solū se parē esse. Nec vero quod Prudentiā hanc propriā Principi esse volo, ideo alienū consiliū ab eo excludo, quū nullū maius indiciū bonæ mentis Princeps possit ostēdere, quā si adiūgat sibi & familiariter habeat viros virtute & fama celebres. Hoc tātū cauebit, ne socios illos, sed adiutores tātū imperij

Cōsiliarij qui vtiles & eorum munus.

vtque supra illos sapere videatur. In grauioribus negocijs suadeant illi & moneant, non decernant; Principem in imperio iuuent, non doceant. Vt denique ad viuendum sua cuiq; anima est necessaria; ita Principi ad imperandum Prudentia: & vt sine illa homo non est; ita nec sine hac Princeps.

CAPVT III.

De fontibus siue origine proprij consilij, siue prudentiæ, & de natura.

INTERNA *Prudentia è triplici fonte promanat,* Naturæ, Educationis, Experientiæ. *Natura primas velut intelligentiæ fenestras aperit, pro temperamenti, à quo*

primæ formæ & lineamenta moribus omnibusq; animæ functionibus imprimuntur, qualitate, vel plus minus luminosas. Quum enim anima corpore ad functiones suas obeundas vtatur; dubium non est, quin ad eius temperaturam animi quoq; inclinationes atq; affectus sese accommodent. Et hæc quidem Naturæ vis tanti est, vt si forte in quopiam humor aliquis naturæ vitio tantopere dominetur, vt rationis fræno vix ac ne vixquidem compesci queat; is ad imperandum omnino sit ineptus, aut ludibrium fortunæ debeat. Porro è quatuor illis humorum temperamētis in Principe sanguineum prætulerim, atrabile nonnihil tempe-

Quod temperamentū in Principe optimum.

ratum, vt nimius sanguinis feruor hac veluti affusa aqua aliquantulum tepescat. Hoc enim temperamenti genus moribus decoram quandam & amabilē grauitatem, & corpori sanitatē vitamq́ longæuam cōciliat, animum ad modestiam, iustitiam, fortitudinem, clementiam inclinat, eandem disciplinarū ac Prudentiæ præceptis facilè percipiendis aptam reddit; solū denique philtri quandam ac fascini vim habet, qua homines ad amorē pelliciuntur: tantumque efficit, vt multi olim Principes huius vnius beneficio totius vitæ cursum inoffensum eleganter & cum dignitate cōfecerint. At complexio (vt vocant) minime omniū Principi conueniens illa est, in qua pituita abundat. Quibus, n. talis,

seruitijs magis quam imperijs apti, ad disciplinas tardi, in cõsilijs stupidi, ad rerũ momenta pigri, ad suspiciones ob intellectus imbecillitatem proni (qua vix vlla est in publicis reb. pestis capitalior) animis pusilli, in consiliorũ atque actionũ finib. & scopis vel timidi vel sordidi, in decernẽdo dubij, in exsequẽdo incõstantes. quibus in reb. omnibus casus magis quã Prudẽtia locũ habet; hi q; tales vix vnquam alieni consilij veluti pædagogio vel tutela liberãtur. In quib. flaua bilis siue cholera abundat, in cõfinio virtutũ ac vitiorũ sunt positi, grata quidẽ corporis specie, sed fragili, ob texturæ, vt sic dicam, raritatẽ & facilẽ humorum mutationẽ: vnde vitæ existit breuitas,

Phlegmatica cõplexio à Principe alienissima.

& tam animi quam corporis mollities quædã, grauibus negocijs non sufficiens. Tales insuper iracundi sunt, lasciui, ingrati, faciles nimis atq; aperti, minimeque eam grauitatem quæ talem decet fortunam, seruant. Quantum vero ad alios animi attinet affectus, virtutibus ijdem propiores sunt; in consilijs capiendis celeres, ad exequenda prompti atque alacres, in negocijs gerendis strenui, in proponendis actionum sibi finibus generosi. Temperamentum melancholicum etsi nec aspectu tam gratum faciat Principem, nec tam moribus amabilem, nec animo tam fortem, nec ad clementiam tam pronum quam fortuna ipsius &

Status forte requirit, sed castigare magis vitia quam virtutes remunerari paratum: corporis nihilominus sanitatẽ & laborum patientiam largitur. Iidem ingeniosi sunt, parci, taciti, graues, industrÿ, alieni à voluptatum illecebris, timidi quidem, sed in gubernandi curis aßidui. Quandoquidem verò his animorum motibus, ad quos corporis quadam contagione abripiuntur, raro vim faciunt ac resistunt Principes; necesse est vt qui sine errore de vita ipsorum atque actionibus coniecturam facere velit, humorum eiusmodi temperamenta in singulis accurate obseruet ac perspecta habeat.

CAPVT IV.
De Educatione.

Educationis vis.

IN Educatione *tanquam omnium virtutū ac vitiorū fonte atq; origine, præcipuum humanæ felicitatis momētum consistit. Huic multorum imperiorum salus ac ruina, populorum seruitus vel libertas accepta ferenda est. Hæc si bona sit, mater est & nutrix bonorum morum; ex bonis moribus (Principum scilicet) bonæ leges nascuntur; bonæ vero leges tibicines veluti sunt & fulcra potentiæ. Iam vbi bonis moribus, legibus & armis imperium floret; necesse omnino est vt respublica magnis viribus, felicitate subditi, Princeps maiestate quadā singulari sit prædítus* Est autē Educatio *nihil*

Educatio quid.

aliud, quam bona & diligens animi cultura, quæ lumē intellectui præfert, imperiũ rationi tribuit, terminos voluntati ponit, affectibus frænũ iniicit, regulas actionibus præscribit, ipsum denique corpus omniaque eius mēbra ad agilitatē & laborē format: qui quidē fructus ad maturitatē nunquam perueniunt, nisi iis in animis quibus semina hæc suo tēpore sunt inspersa. Quãuis autē omnis ordinis hominibus Educationis huius vis ad beneviuendũ tam necessaria sit quam ipsa anima ad viuendũ; multo tamē ea magis in Principe requiritur: qui hac destitutus, nō pater Patriæ sed noxium aliquod animal & publica calamitas censebitur.

Quomodo vero & in quib. reb.

pue-

pueritiis ætas exerceri, atque educari debeat, ab alijs copiosè explicatur.

CAPVT V.

De Experientia.

Experientia quid.

EXPERIENTIA *dux est, intellectus, magistra vitæ, voluptatis norma, prudentiæ anima, sine quá, nec in bello, nec in pace quidquam rite administrari, non corpus imperij pernosci, non morbi quibus obnoxium explorari, non conuenientia adhiberi remedia, non tempus, non modus in ijs, adhibendis seruari possunt. Experientia hæc duplex est, vna communis, ex earum rerum, quæ ab prima mundi*

origine contigerunt, & variarum in vita humana mutationum, obseruatione nata: altera propria, earum rerum, quas ipsi in vitæ huius curriculo, vsu quodam notauimus. Hæc sine illa adeo breuis est atque impedita, vt pauci hac sola duce & magistra cum laude res ciuiles administrarint. Est enim ars longa, vita breuis: & sicut tarde ætas hominis adolescit, ita pæne antequam iudicium maturuerit, senectus obrepit. Est insuper experientia hæc ita nuda, priuatis rebus damnosa, publicis vero periculosa: quippe quæ rectum monstrat per errores, & ordinem à turbis. Quæ autem prudentē facit Principem experientia,

ex

Communis, ex utroque genere constat. Cõmunis illa tripartita est. prima hominẽ docet seipsum guberna re: secũda, res ciuiles instruit: tertia, sub historiarum nomine euentus particulares memoria dignos colligit, & ex præteritis præsentia disponit, & de futuris coniecturam facit: qui ut præcipuus est Prudẽtiæ (quæ & ipsa è singularibus rebus nascitur) fructus; ita lõge solidiores in eo habet radices, cui amplior & solidior earum notitia & memoria, Historiæ beneficio contigit. Hinc sane est quod multi hac sola experientia freti, ceteroqui tractandarum rerum apud Catanenseis & alias Siciliæ ciuitates publicarum ab usu imperiti Respublicas præclaris legibus fundarunt:

quales fuerunt Charondas, Draco apud Thessalos, apud Milesios Hippodamus, Philolaus apud Thebanos, apud Carthaginenses Iabea, apud Chalcidenseis Andromachus, Pittacus apud Lesbios, apud Magnesios & Siculos Plato. Equidem vere sapiens is merito habendus est, cui animus harum vtraq; subactus est & excultus: quales duo illa nō Græciæ tantum, sed omniū etiam imperiorū splendidißima lumina Solō & Lycurgus fuere, quorū legibus olim duæ illæ celeberrimæ lateq; imperitantes Respublicæ vltra annos 40. steterunt, & floruerunt, adeo vt pleræq; etiam nostri temporis respublicæ forma administrandi imperij ab ijsdem desumpta vtantur.

CAP.

CAPVT VI.

Quæ, & quales primę esse debeant Principis actiones.

CONSIDERATIS *in Principe ijs rebus, quæ Naturæ benignitate, Educationis diligentia, ductuq́ Experientiæ tribuuntur; restat vt quæ eius ad imperij gubernacula iam admoti, primæ actiones esse debeant edisseramus, ex quibus plerumque de futuris augurium capere licet. Est enim à natura ita comparatum, vt in nouitium Principem omnium oculi & mentes defigantur, eorum maxime quorum interest, quibus ille moribus sit præditus: vt*

Principij maxima cura esse debet.

ſubditorum, in quos virtutes & vitia Principum redundāt; vt clientum, qui ab ipſorum protectione dependent; vt amicorum, qui eandem cum ipſis fortunam ſubire neceſſe habent; vt æmulorum atque hoſtium, quorum magni refert cognoſcere, quem illi imperandi viam inierint, quem modum vſurpent, Prudentis ne & cordati, an incauti, atque abiecti animi ſigna oſtendant. Quod ſi alijs in rebus omni ſtudio cauent homines, ne, quod dicitur in limine impingant quanto id magis Principi in imperij initio eſt cauendum? Det igitur operam Princeps, vt initio ſtatim intelligāt homines, ſe non tantum præ-

sentis fortunæ, verum etiam cuiusuis & augmẽti atq; acces-sionis, quam occasio forsan afferre posset, capacem esse. Quod enim in cæteris rebus dici solet, Principiũ facti esse dimidium; multo magis hic locũ habet. Porro actiones quibus existimatio atque auctoritas Principi conciliatur, illæ potissimum sunt quæ Religionem ipsius in diuinis, & Prudẽtiam in humanis rebus ostendunt. Tantum vero religionis valet opinio, vt vbi illa sit, ibi cetera-rũ quoq; virtutũ omnium chorum esse plerięq; persuasum habeant. Hæc populos veneratiõe implet, & à tyrannidis metu reddit securos: hæc Principẽ melius quam vllũ satellitiũ tuetur: fores occludit omnibus in-

Quæ initio Principatus curanda.

com-

commodis quæ Reipublicæ periculũ, Principi damnũ minãtur; quibus latißimas fenestras aperiunt, in quorũ animis illa firmis radicibus nõ hæret. At longe hic duos illos scopulos Princeps fugiat, Superstitionis & Simulationis; quarum illa stuporis, hæc astutiæ censetur argumentum. Superstitio quidẽ & aniles persuasiũculæ, vt antiqui Poetæ verbis vtar, Faciũt animos humiles formidine diuum, Depressosque premunt ad terrã. *Et sanè vilium fere aut barbarorum est Superstitio; qui ea, vt bubali naribus, quouis ducuntur, & nugacissimis hominib. prædæ fiunt. At Simulatio religionis tandẽ in pudorẽ & forte etiã in exitũ Principẽ dabit. Quã.n. vera & genuina vir-*

Superstitio fugienda.

virtutis species amabilis est, tam odiosus est omnis fucus: quo qui vtuntur, negotia ipsi sua corrumpunt, suisque ipsi artibus ab alijs petuntur: ac deoque quum in eo sunt vt alios decipiant, tum maxime decipiuntur. Etsi vero artes quibus religionis opinio conciliatur, Principi nonnunquam necessariæ sunt; eædem tamen quando ad astutiam magis quam prudentiam inclinant, plus obsunt quam prosunt. Quum igitur hac Religionis existimatione Principis gloria, stabilitas imperij, populi securitas, pacis fundamentum, vitæ longæuitas, atque adeo in ipsa morte vitæ spes contineatur: prima in ea & ab ea imperij sui fundamen-

ta ponat Princeps, non illa quidem verisimilitudinis aut inanis persuasionis arena, sed solido ipsius veritatis saxo innixa.

Quæ vero Prudentiæ in rebus ciuilibus opinionem Principatum adeptis conciliant, duo sunt: rei priuatæ siue familiaris administratio, & electio ministrorum. Et quidem à Principum aulis subditi plerumque vitæ sibi exemplar quod imitentur, petunt. Hinc magna parte imperij sanitas vel infirmitas, pax vel turbatio plebis, honor Principis vel infamia dependet: qui quanto opulentior est potentiorq́; tanto magis opus habet ministris. At hos qui habebit, nisi accer-

Prudentiæ opinio quib. modis concilianda.

sat? Ad quid vero accersiue-
rit, quos primus ipse domesti-
cis vitijs sit corrupturus? Quā
doquidem vero humanæ imbe-
cillitatis semper memor Prin-
ceps esse debet, cui maxime
mulsebris sexus est obnoxius:
sane perquam necessarium est
vt Gynæcei quoque vitā & mo-
res diligēter inspiciat, dirigat
& corrigat, non tantum vt e-
ius exemplo totus ille sexus ad
dignas se virtutes exstimule-
tur, sed vt suæ etiam ipse Prin
ceps quieti consulat atque exi-
stimationi. Quid enim Augu-
stum eo felicitatis prouectum,
vt imperiū cum Ioue diuisisse
videretur, magis conturbauit
quam gynæcei probra & fla-
gitia? Iuliæ imprimis filiæ, quā

Gynæcei mores curandi.

ipse gentis suæ carcinoma appellare solebat. Frequens quidem gynæceum vt non negauerim ornamento esse Principi, & aulicis oblectamento; ita illud moneo, rem vitream esse & periculi plenam, atque etiam facilem tragœdijs funestißimis materiam atque occasionem præbere. Principis ergo aulam ac familiam ita instituui oportet, vt nec ad virtutem, nec ad splendorem quidquam in ea desideretur, vtque ad eius normam atque exemplum vniuersæ ciuitatis mores tuto dirigantur.

CAPVT VII.

De Ministrorum delectu.

In ministrorum delectu error vnde.

PRimus Ministrorum eorumq; quibus præ cæteris fidunt delectus, Principum sollertiam ostendit, secretas animi prodit inclinationes, & ichnographiam velut quãdam exhibet futuri imperij, ac modulum quo in deliberationib. sunt vsuri. Duobus hic modis vtplurimum erratur: aut imperij seu ciuitatis vitio, aut Principis Ciuitatis, vel regionis; quandó vel occulto climatis alicuius influxu ac situ, vel malæ educationis ac morum populi vitio graues & rebus gerendis apti homines rari inueniuntur, vt fere in maiori

Asiæ parte. Principis; quum vel ipse suspicionibus natura indulgens, vel propriæ imbecillitatis conscius, ab eminẽtibus virtute ministris abhorret: aut iudicij quodam errore negociorum pondera cum ministrorum viribus non recte componit atque expendit: aut nimia animi facilitate fauore magis quam meritis ducitur. Et hic quidem non sine periculo reipublicæ ac Principis semper peccatur; maxime autem sub ipsa imperiorum initia, mutationum ac nouarum rerum periculis per se obnoxia: tum præcipue quando imperiũ seuere administratur: quando inanis tantum eius species & nomen est penes Principem;

Q..ã peri- c..losus,& uomodo

quando Princeps à subditis lin gua, moribus, &, quod dicitur, toto cœlo dissidet, quando mẽbrũ aliquod imperij à reliquo corpore longe est dissitũ; quando in ipsis imperij visceribus potentes sunt subditi, ad æmulum aliquem excitandum atq; introducendum idonei; quando populus natura leuis est, inconstans, & incertæ fidei; quãdo finitimi reges ac Principes opibus præcellunt; quando alius Princeps imperij ius prætẽdit; quando Princeps superiorẽ agnoscit, nouaq; Inuestitura opus habet; quãdo à prædecessore aut rei militaris ordo confusus, aut ærariũ exhaustũ & redituũ nerui incisi, aut iustitia corrupta est, aut populũ nouæ religionis cupiditas incessit.

Iam

Iam mores actionesq. Principū, quæ in nouis imperijs turbas ciere solēt, hæ sunt: si Princeps magnitudinis suæ incapax, & fortunæ indignus videatur; si ministris imprudētibus & sua tantū cōmoda spectantibus totū se det; si veros amicos abalienet, falsos admittat: si iniuria affectis fidat; si consilia turbulēta & noxia alijs cōmunicet; si pacē vel inducias emat, extremā confessus necessitatē; si per imprudentiā subditis fenestrā ad res nouas patefaciat; si secreta imperij prodat; si suis ipse manib. per varias suspiciones arma excutiat; si à mercenarijs totus pēdeat; si denique astuta magis quā tuta & prudētia cōsilia sequatur. Prudētia

Quę cauēda initio imperij.

Prudentia consilia, quæ, & quæ astuta.

consilia illa voco, in quibus verus actionum finis spectatur, & ad eum consequendũ nõ nisi honesta media vsurpantur. Astuta eundem quidem sibi finem habent propositum; sed in medijs quibus eò peruenitur, eligendis, exiguam honesti habent rationem: quo nihil est apud Deum atque homines magis odiosum. hinc etiam fit vt plerumque talia consilia infeliciter succedant. Etsi enim nonnunquam in ijs quæ bonus etiam Princeps agit, honestum vtili quodammodo cedere videtur; id tamen non à voluntate est, sed à vi, quæ Principem ad rerum atque imperij summam potius quam ad alia respicere cogit. Rempublicam

enim eiusmodi sæpe inuadunt morbi, qui nullis alijs remedijs quam ab astutia petitis sanari possunt. At qui hisce non vt remedijs vtuntur, sed vt quotidiano cibo pascuntur; suo sibi iumento, quod dicitur, malum accersunt. idq́ue duas ob causas: quarũ prima est, quod vt calliditatis opinio semper & apud omneis est odiosa; ita præcipuus eius effectus est, quod excæcat eorum ipsorum qui ea vtuntur oculos, falso existimantium, posse se suis artibus quosuis pro suo arbitrio circũuenire. Secunda, quod Princeps suorum ministrorum iudicia deprauat, qui etiamsi natura ab eiusmodi consilijs & actionibusq́ue abhorrent, Principi

tamen, vt & ipsi sapere vi-
deantur (eos enim homines,
sed imprimis Principes sapi-
entes iudicant, qui idem cum
ipsis sentiunt, aut sentire
se simulant) per omnia ob-
sequi, ijsdemque artificijs
vti, in animum inducunt;
sic vt breui quot Consiliarijs,
tot vulpeculis Princeps cir-
cumdatus videatur. Quum
vero fieri non possit vt vas
quodpiam alium stillet li-
quorem quam eum quem ha-
bet: illud quoque necessa-
riò sequitur, vt si qua tem
pora eiuscemodi ministro-
rum operam requirant, illi
sine dubio ijs artibus in a-
gendo vtantur quas ab ipso

didicerunt, simulatione scilicet & priuatæ vtilitatis respectu. Sunt vero Administrorum quatuor genera: primum eorum qui ad consilia status, id est, de imperij administratione adhibentur: secundum, quibus rei bellicæ cura est commissa: tertium, qui prouincijs & oppidis sunt præfecti: quartum, qui magni momenti obeundis Legationibus sunt destinati. Hi omnes necesse est vt bene à natura, melius etiam ab educatione, doctrina & experientia sint informati, ita vt ipsa quidem conditione priuatorum vitam degant; habitudine

Administrorum genera quatuor.

vero & animi dotibus, Principibus sint aquales. Quanto vero longius horum vnusquisque ab ea qua requiritur perfectione aberit; tanto minus conducibilem reipublicæ operam præstabit.

CAPVT VIII.

Quindecim administrandi imperij adminicula, siue instrumenta breuiter explicata.

IAm vbi Princeps reipublicæ gubernaculis manum admouit, & primis actionibus singularem quandam de virtutibus suis, religione inprimis & prudentia concitauit exspectationem; omni studio eo incumbere eum oportet, vt egregiè

giè illam nõ sustineat tantum, sed etiam vincat: quod fiet, si ÿs quæ superius diximus, imperÿ administrandi instrumẽtis rectè ac peritè vtatur. Horum primum est, vt populorum ingenia & mores a natura insitos habeat perspectos. *Etsi enim ex eadem, quod dicitur, farina, eademq́; materia omnes sunt homines, atque eadem naturæ vi atque effectionibus in lucem hanc producuntur; constat tamen admirabilem esse ac pæne incredibilem hominũ inter se dissimilitudinem, & variam pro locorum diuersitate naturam. Cuius rei caussam præcipuam cœli ac siderum viribus nonnulli tribuunt; vnde & in*

Prudentia in noscendis subditorum ingeniis.

hominum ac ceterorum anima lium ingenijs ac naturis diuersi existunt affectus atque inclinationes, adeo vt vna natio nō diuersa ab altera, sed plane etiam contrarijs moribus ac motibus prædita videatur. quinetiam ipsi terræ ab cœlestium corporū influxu diuersæ imprimuntur vires, atque inde diuersæ affectiones nascūtur. Tanta præterea vis est educationis, vt etiam ipsi quodāmodo naturæ vim afferat, & à cōmuni viuendi consuetudine transuersam agat. Vnde non satis est Principi perspectas habere in vniuersum naturæ humanæ virtutes & vitia; sed quæ propria etiam sint eorum quibus imperat populorum, cō-

ſiderare oportet. Qua in re qui dem, vtpote peruulgata & omnibus fere nota, non multum operæ & ſtudij ponendum eſt; ſed animum tantum aduertere ſatis eſt. Ex hac cognitione ſecundũ caput naſcitur, quod eſt Prudentia in legibus ferendis, *vt ſcilicet quæ quibus populis congruant, bene intelligatur. Vt enim quantumuis equeſtris artis peritus non facile dixerit, quodnam & quale frænorum genus equo alicui conueniat, niſi naturam eiuſdem & ingenium prius habeat exploratum: ita nec Princeps ſubditos in officio continebit, niſi legibus ad eorum mores & ingenia accõmodatis. Nam etſi tam diſtributæ quã-* In ferẽdis legibus.

correctiuæ Iustitiæ proportio ab vniuersali contemplatione naturæ humanæ sumitur; nihilominus tamen in actionibus postea ad populi, immo hominis cuiusque naturam & mores semper est respiciendum.

Asiaticorum ingenia.

Apud Asiaticos quidem si quis aliud ciuitatis vel imperij genus quam regale & despoticũ constituere velit, multum errauerit, nec diu sanè imperium tenebit. Est enim populo illo siue cœli siue educationis, vel potius vtriusque vitio & natura nihil mollius, nihil seruilius; cui nõ tantũ conuenit, sed necessarium etiam est prædictum imperij genus. At si hoc idem quis nonnullis Europæ populis imponere ten-

tauerit, seipsum vnà cum imperio funditus euertet.

CAPVT IX
Rei militaris constituendæ præcepta quędam.

EX tribus imperiorum fundamentis vnum est VIS *siue* VIRES, *quæ præcipue ab* Armorum *vsu depẽdent. Armorum vsus si- ne* Discipline [illegible] *exiguus vel potius nullus est. Leges vero siue præcepta ad Disciplinam militarem pertinentia quadruplicis sunt generis.* Primum *est eorum quibus vniuersim homines educationis diligentia ita formantur, vt & animis ad obtemperandum, & corpore ad labores tolerandos*

Milites quomodo formandi.

fiant

fiant apti: quibus duabus rebus, obedientia scilicet & laborum tolerantia, omnis militiæ vis, & vtilitas continetur: nec vllum reipublicæ maius beneficiũ conferre Princeps possit. Secundum *ad Dilectum spectat. Cæli enim ac regionũ diuersitas magnam efficit in hominibus morum atque ingeniorum varietatem & dissimilitudinem; quæ quidem nulla etiam quantumuis accurata educatione ac disciplina immutari potest. Frustra enim sit qui eam intrepidi animi præsentiam & mortis contemtum ab Australibus exigat vel exspectet qui in Aquilonaribus cernitur; quos tamen illi ingenij acrimonia & sagaci*

Qui eligendi.

tate longe vincunt. At qui in temperatis degunt regionibus non minus Prudentia quam Viribus & robore valent. Ex quo patet non omnino verum esse illud quod vulgo dici solet, qui viros habeat, bonos etiam milites, si velit, habere posse. neque enim formæ imprimi possunt, nisi pro dispositione materiæ. Constat certe patentibus præsertim locis, ad victoriã consequendam omne fere momentũ in seruandis ordinibus esse positũ: quam ad rẽ Arabes, Parthi, & omnes fere Asiæ populi omnino fuerũt, & hodie etiãmagna ex parte sunt inepti, non disciplinæ vitio aut defectu, sed animi tãtos impetus sustinere nõvalẽtis inopia,

Qui igitur diuersæ naturæ populis imperat Princeps, in deligendis militibus summo uti iudicio debet, & in singulis atque uniuersis morum ac naturæ rationem habere. Tertium *rei militaris bene constituendæ præceptum illud est, ut quodnam militiæ, quodque armorum genus populo alicui conueniat, inspiciatur. Sunt enim alij ad equestrem, alij ad pedestrem; alij ad terrestrem, alij ad naualem militiam aptiores: hi hastis & sarißis, illi sclopis melius utuntur: & econtra. Est etiam in ipso armorum genere magna uarietas, & magnum ad uictoriam momentum: quæ quidem Romani sæpißime mutarunt, do-*

Militiæ & armorum genus considerandũ.

nec

nec tandem eorum quæ optima exemplis siue formis ab vnaquaque gentis sumtis, inuictas suas acies fecerunt. Quartum *ea præscribit quæ in singulis militiæ functionibus obseruanda sunt. Harum quinque sunt: iter facere, castrametari, prælium committere, defendere, oppugnare. Horum vnumquodvis recte administrari tanti interest, vt vel solius huius disciplinæ fulcro etiam parum sanum ciuitatis corpus sustineri queat. Antiquam illam Romanorum rempublicam mihi aliquis cõsideret, nullam profecto reperiet quæ mutationibus magis fuerit obnoxia, quæque intra sua ipsius viscera tot seditio-*

Rei militaris partes siue munera.

num, turbarum, ac tandem panolethriæ caussas inclusas habuerit. At sola militari hac disciplina non dignitatem modo illa suam quam diutissime conseruauit, sed orbis etiam terrarum imperium moderata est. Porro in omni re militari præcipuum munus est impera- In imperatore quæ requirātur *toris, in quo multa, sed quatuor hæc inprimis requirūtur, rei militaris scientia longo vsu acquisita, virtus, auctoritas, felicitas. Ad primum quod attinet, quis nescit bonos imperatores non à schola & vmbra, sed è campo & puluere dari solere? qui magistra Experientia, & Vsu doctore præcepta militiæ animo cōbiberint.* Vsū *appello, interesse consiliis siue*

deliberationibus, exsecutionibus praeesse, vel certe adesse, considerare euentus: è quibus rebus illa deinde nascuntur Prudentiae munera: occasionibus oblatis bene uti; vireis suas cum hostium viribus sollicite componere; ad omnem euentum & casum subsidia parata habere; consilia sua ad res praesentes accommodare; res quibus opus est praeuidere; temporibus insidiari, hostium incommoda ad suas utilitates trahere; quando necesse sit praeuertere, quando diuertere; quando ab armis, quando sine armis speranda sit victoria; quando praecocibus, quando maturis consiliis vtendum, nouisse; seueri-

Experiētia militaris in quibus rebus consistat.

tatem

tatem denique cum humanitate decenter temperare; quo vno nullum est ad continendos in tanta armorum & linguarum varietate, militum animos vinculum robustius, vt quidem Annibalis exemplo patet, hac præcipue arte ad omne militare munus informato milite, ad tantam magnitudinem prouecti. Iam Virtute *imperatoris (quæ est corporis animiq́; vigor quidam, & simul Animi probitas) tamquam spiritu & anima totus sustentatur ac viuit exercitus; in eaq́; etiam præcipue boni euentus & victoriæ spes sita est. Quamuis enim proprium boni imperatoris munus non sit Pugnare siue manū*

Virtus imperatoria quæ.

con-

conserere, sed Aciem ad Pugnam ita instruere, vt certa sit spes victoriæ; sine propria tamen Virtute & corporis atque animi valore ne hoc quidem recte atq; feliciter poterit administrare. Auctoritas vero (quæ existimatio est & fama de virtute imperatoris, meritis acquisita) viuum quoddam est & efficax exemplum, quo militum animi & ad imitationem prouocantur, & ad fiduciam animãtur. Quum deniq; in omnibus rebus humanis Fortunæ magna vis, in bello vero longe maxima sit; eius sane diligens etiam ratio habẽda est. Sunt enim quidam profecto qnarta (vt dicitur) luna nati; & qui domi equum Seianum

habent; adeo vt vix quidquam prosperè gerant: quales in Italia duo fuerunt, cladibus magis quam vlla alia re celebres; patrum quidem nostrorũ memoria Bartholomæus Aluianus, cui nihil ad manum successit præter strages, & fugas & cædes: & superiori tempore Petrus Strossa, vir excellenti virtute & rara prudentia præditus, sed occulto quodam irati cæli (vt quidem ipse dicere solebat) odio ita infestatus, vt ex multis rebus quas aggressus est, vix vlla felicem sortita sit exitũ. Contra alij tam benignã habent fortunã, (vel vt rectius loquamur) tam propitiũ habent cæleste numen, vt venti etiã tẽpestatesq; eis quasi obse-

cundent; quibus etiam temere cœpta ad nutum fluunt. Et his quidem tuto Princeps imperia mandet atque exercitus committat, spretis illis; nisi forte tanta ducum laboret inopia, vt electioni non sit locus. Quod quando contigerit, seipsum accuset Princeps, qui tantas & tam necessarias ad imperandum res, quæ & belli subsidia & pacis ornamenta sunt, non maiori studio procurarit.

CAPVT X.

Quibus modis, quaque industria pax tuenda sit.

BELLORVM *tria genera sunt. Primum quando Reipublicæ alicuius vel im-* Bellorum diuisio

perij membra inter se confligunt: quod Ciuile dicitur. Aut subditi cum Principe: vel iniurijs atque imperij acerbitate coacti; vel nouandarum rerum studio, aut alijs affectibus stimulati: quorum illud æquitatis nonnihil habere videtur; hoc vero iniuriæ Rebellionis nomine censendum est. Aut Princeps vnà cum subditis vim & Arma in Principem alienum conuertit: quod bellum Externum nominatur. Pacem vero præclare ille ac optime tuebitur, qui nulli horum motuum fenestram aperiet, aut caussam dabit. In Monarchia quidem siue regali ciuitatis genere Ciuile bellum plerumque nascitur, vel ab inge-

Vnde Ciuile bellum oriatur.

nij, vel ab ætatis in Principe imbecillitate. Opus ergo est vt qui iam rebus præest; successoris sui diligentem habeat rationem, vtq; omnia ita disponat vt quibusuis in futurum etiam incommodis via obstruatur. In quo quidem duas res inprimis sedulo procurabit, statum scilicet religionis, & procerum. Religione enim mutata, semina statim Ciuilis belli sparguntur, & rerum nouarum cupidis ansa mutandi etiam vel oppugnandi certe imperij præbetur: dum scißis in diuersa studia procerum animis ad familiam aliquam rerum summa defertur: cuius potentiam deinde, mutatis temporibus, & imbecilliori Prin-

cipe succedente, ceteris non ferentibus, aut illis ipsis etiam maiora ausis, Ciuili bello aditus proculdubio patefiet. Subditorum in Principem arma vno tantum casu pia & iusta videntur; quando scilicet Princeps repudiata & profligata vera religione, nouas sectas inuehere ac stabilire conatur. Religionis enim quo Deo obligantur homines vinculũ multo arctius est & sanctius quam cetera omnia, siue naturæ, siue legum, siue voluntatis. Extra hanc vnam causam subditorum est bonos Principes desiderare atque amare; malos tolerare. quod si non fiat, sed vnicuique ius inuadendi Principem detur, breui omnias

imperia pessum sint itura. Neque tamen ita hæc subditorum officia interpretabitur Princeps, vt eorũ quæ vicißim à se illis debentur, obliuiscatur: quum homines ijs tantum æquo animo, ac sæpe ne his quidem obediant, quos pro ipsorum salute excubare animaduertunt; & vnicum mali Principis sanandi remedium, Ferrum esse putent. Rebellio *aut à subditorum natura & ingenijs, aut imperij forma, aut Principis moribus originem sumit. Qui enim natura inconstantes & vani sunt, nouis plerumque rebus student, & quamuis occasionem non arripiunt tantum, sed & quærũt, Exemplo sint regni* Rebellio vide.

Neapolitani incolæ, qui superiori ætate dominos toties mutarunt, modo ab his modo ab illis deficientes. Quod si sit ea imperij alicuius conditio vt plures ius in id prætendant, ac eorum quilibet siue totum siue partem eius aliquando tenuerit; fieri sane non potest quin illud totum factionibus & discordijs tumeat: vnde fiet vt is qui rerum potitur, vel aperta vi, vel occultis odijs à suis oppugnetur. Porro quibus Principis culpa inflammari facile possunt & solent ad Rebellionem subditi, duo sunt; nimirum si vel iniustus, vel fortuna sua indignus, nec tantis negocijs par videatur: quorum hoc facile è proceribus

aliquem viribus suis fidentem ad imperij inuasionem exstimulabit; illud vero vniuersos nō sine iustitiæ colore aduersus Principem armabit. Quum enim iustitiæ tantum fruendæ, & omnis à se iniuriæ depellēdæ caussa regibus ac Principibus imperia ab ipsis hominibus tributa sint; horum vero neutrum ab iniusto vel inepto Principe recte præstari poßit: manifestum sane est, neque huius neque illius imperium homines æquo animo laturos. Vt vero Princeps ad imperandum aptus sit, requiritur Naturæ bonitas: quam Educationis diligentia adiuuat, Experientia vero ad summum perducit. quarum rerum ad

iustitiam tam correctiuam quam distributiuam administrandam magna vis est: eoque ex omnibus imperandi instrumentis nullum ad imperij stabilitatem firmius est magisq́ necessarium. Est vero Iustitia distributiua, *quæ commoda, honores, & onera etiam æqualiter partitur. Quod si Princeps vtilitates nimis parce dilargiatur, parum amabitur; si inconsiderate honores distribuat, multorum odia incurret; si onera pacis tempore cum cuiusque viribus non exæquet pro tyranno habebitur, in bello autem certissimam sibi attrahet ruinam. Auaritia vulgus offenditur; imprudentia in distribuendis hono-*

Iustitia distributiua quid.

ribus, nobilitas. Iam si fauore magis quam meritis Princeps ducatur, ij qui iniuria se præteritos existimant, cum suo et iam exitio Principi perniciem machinabuntur. Et quamuis iniusta hæc distributio semper & omnibus in rebus magna afferat incommoda; multo tamen plura in bello, vbi ministrorum fide atque amore magis opus est. Neque enim vlla res Ludouici Sfortiæ res tantopere afflixit, vt ex opulentissimo Principatu deiectus, tot tantarumque rerum viginti dierum spacio iacturam fecerit, quibus bellum in multos annos ducere potuisset; quam quod Galeatium Sanseuerinatem bonum

Ludouici Sfortiæ error.

palæstritam, sed malum militem, exercitibus suis præfecit, ac fratri etiam suo ætate & rei militaris peritia longe illum antecellenti, prætulit. Quâ iniuria ictus, tanta indignatione atque odio in fratrem is exarsit, vt omnium beneficiorum oblitus, nihil aliud cogitarit atque egerit, quam ea quibus fratri ac domino suo nocere se posse existimabat. Tantum sc. præsertim in generosis animis, potest indignatio, & vltionis cupiditas. Nec singulorum odia tantum & indignationes, sed rebelliones etiam populorum inde exsistunt, quando Præfecturæ siue dignitates publicæ non ex merito, sed pro libidine Principis

tribuuntur. Prouinciæ enim quibus à Principe præses datur tanto muneri impar, breui eo rediguntur, vt subditos imperij pœniteat, & neque Principem amplius neque eius Administros ferre poßint. Cuius rei exemplum nobis præbet Sicilia, quæ duodeviginti annis continuis ab impotenti & libidinoso homine, quem rex insulæ præfecerat, vexata, tandē à Galliæ regno Anno M C C. LXXXII. omnino auulsa est, cum tanta gentis eius strage. Nec vero minus periculosum est & noxium Principi, vnum aliquem ita prouehere, vt vnus omnia poßit, & regat. Hoc enim modo Principatus vnitas dißoluitur, Consilium quod

Vnus non prouehendus.

circa se Princeps habet, in factiones distrahitur, imperij Arma & vires retunduntur, Iustitiæ rationes conturbãtur. Princeps denique ipse varijs artibus continuo circũagitur, & inexplicabili reti illaqueatur, cum maiori vel minori periculo, prout ille à quo Princeps dependet, vel magis vel minus vasto fuerit ingenio. Principatus vnitas etsi multis modis soluatur; hoc tamen maxime, quando Princeps tanto vnum aliquem fauore complectitur, vt in rebus & consilijs ad imperij summã pertinentibus, solum illum atque vnum fere audiat, vnius consilio vtatur, ac totus nutu ipsius atque arbitrio regatur. Sic enim

ceteri Principes apertam semper habituri sint fenestram, per quam facilis eis pateat ingressus. Sed & in eo vno spes suas omnes subditi collocabūt; & quod Principis bonitati & clementiæ debent, ministri virtutibus & gratiæ referent acceptum. Distrahitur etiam hoc pacto atq; eneruatur quod circa Principem est Consiliū, omnibus certatim eius qui tanta apud Principem floret gratia amicitiam ambientibus, & fauorem captantibus: ex quo fiet, ne eum offendant, & sententias minus libere dicturi, ac consilia minus sincere expromturi, iamque non Consiliarij Principis, sed illius qui apud Principem

magnus, mancipia merito sint appellandi. Quæ quidem res tanto grauiora afferet incommoda ac pericula, quanto maiori æmulatione proceres gratiosi illius potentiam prosequuntur. Nec consilium tantum, sed Arma etiam atque vires suas nimio vnius prohendi studio eneruabit Princeps. Tales enim Principis facilitate abusi, non ad publicã, sed ad priuatam actiones suas dirigunt vtilitatem; eoque vel ipsa consilia ac deliberationes interrumpunt, vel exsecutionem procrastinant, quæ plerũque non aptissimo, sed ei quem gratiosus ille obnoxium sibiq; obsequentem habet, demandatur: aut consiliorum progressus

ipſi remorantur, eorum præſertim quæ æmulis ſuis honorem & gloriam ſint allatura. Et vt horum nihil faciant: ſatis tamen eſt facere poſſe, & vel ſua ipſorum voluntate, vel aliorum inſtinctu impelli ac moueri. Iuſtitiæ rationes etiam conturbantur, quod ceteri magiſtratus talium potentiam metuant. Quamuis enim leges vnum veluti vultum ac formam ſemper retineant, atque vna lingua loquãtur; quia tamen iȷ in quorum manu exſecutio conſiſtit, homines fere ſunt egentes, nec contra vim ſatis firmi, ad eorum nutum quos primum amicitiæ gradum apud Principem obtinere vident, omnia ſua

fere consilia accommodant, legesque ita interpretantur, vt eum cuius gratiam vnice captant, velle intellexerint: qui interim tam suas quam amicorum res promouendi studio, ipsi iustitia cum Reipublicæ detrimento, & non sine ipsius Principis infamia, vim afferre nunquam dubitabit. Inexplicabili etiam variarum ad decipiendum comparatarum artium reti illaqueatur Princeps, quum omnes ij qui in Principis gratiam sese insinuare, eamque tueri nouerunt, astutia singulari sint præditi: sine qua vix momentum mutabiles illas Principum voluntates (qui vt ardentißime cupiunt, ita facillime rursus fastidiunt)

de-

deuinctas sibi retinere queant. Ad hoc vero efficiendum, sex his rebus plerumque vtuntur. Primo, quod persuadent Principi, nihil aliud se agere & spectare, quam vt Principis & imperij vtilitatibus seruiant. Secundo, quod oculos Principis ita perstringunt ac fascinant, vt nihil in eis deprehendat, nisi quod cum suaipsius natura & moribus quam optime conueniat. Tertio, quod Principi ita adulantur, vt sua etiā vitia pro virtutibus, aut certe næuis leuiusculis & ipsi habeant, & ab alijs haberi velint; quare imperito Principi nihil gratius est & acceptius. Quarto, quod quibus possunt modis ceteros omnes à Principis

gra-

gratia & amicitia summoue-re student, eos præsertim in quibus non vulgaris virtutis sunt indicia: in quo tamen grauiter errant. Quinto, quod æmulos por aliorum latera petunt, & cum aliorum inuidia euertunt. Sexto denique, quod magnitudinem suam & potentiam simulata quadam humilitate & affectata mansuetudine celant. Quibus artificijs deceptus atque incantatus veluti Princeps in eius animalis, veluti Proteus aliquis, formam trãs mutabitur, quam magus ille seu veneficus volet. Periculi vero quod Principi hinc impẽdet magnitudo ex animi magnitudine quæ in gratioso illo

Incõmoda vbi vnus apud Principẽ omnia potest.

cernitur, æstimari debet: qui si non indies potentiam suam atque auctoritatem augeat, detrimentum etiam se fecisse arbitrabitur. Iam in quo tanta est crescendi cupiditas, is tandem etiam temporis & occasionis beneficio eo vsque progredi poterit, vt nihil amplius simulatione aut artibus illis opus sibi putet; sed aperte imperium affectet. Et quamuis nullum aliud inde sequeretur incommodum: illud vnum tamen grauissimum existimari debet, quod tanta vnius hominis potentia ac honore multum de Principis existimatione detrahatur; quem plerique omnes propriæ imbecillitatis conscientia in talē hominē omnia

imperij momenta ac pondera imposuisse, omnesque honores congeßisse suspicabuntur: quo nihil est vel ad abalienandos subditorum animos, eorum præsertim qui virtute & meritis excellunt, vel ad eneruanda præcipua imperij instrumenta efficacius; quum & Prudentia & Iustitia in eo desiderari videantur. Quoniam vero Princeps & ipse homo est, à quo nihil humani sit alienum; homo vero natura animal est sociabile: mirum sane non est & ipsum amicos sibi quærere, sed præ ceteris vnum plerumque eligere, quicum interioris animi sensa communicet, quicum in grauibus & serijs rebus deli-

Principrs amicitia quomodo vtendum.

beret, in lætis vero se oblectet. Hinc sane ut amicitia hac Principis prudenter utatur, inprimis opera danda est; & amicitiæ-affectus ita temperādi, ut ne Principatus effectus corrumpantur. Quod vero distributivæ Iustitiæ munus esse diximus, onera exæquare, *constat sane nulla re magis subditorum animos exasperari & ad seditionem inflammari, quam si debita hac proportio non servetur: à quibus desertus Princeps, dignitatem suam minime tueri possit, nec illi officium suū exsequi: quod est, Principem modis omnibus adiuvare, ut æquabiliter iustitia omnibus administretur, & vis repellatur. Onera vero quæ*

Onera æqualiter partienda.

im-

imponuntur, varia sunt, pro cuiusque regni ac ditionis statu ac moribus. Quatuor tamen praecipua sunt. Tributa pecuniaria, Seruitutes personales, Ius siue Reseruatio Regalium, Commoda Hospitiorum siue vectigalia tabernaria. Tributa pecuniaria duorum sunt generum, Ordinaria atque Extraordinaria. Illa sunt antiquitus vsurpata, vt vectigalia, portoria, decimae, & id genus: haec vero nomen inde habent, quod extra ordinem imperantur, exigente scilicet aliqua imperij vel Principis necessitate; aut quando illa etiam ad tempus augētur. Seruitutis personalis duplex item genus est, vnum, à Prin-

Eorum species.

Tributa.

cipis iussu & volũtate, subditos tam pedites quã equites ad militiam euocantis. Alterũ à feudi obligatione; quales sũt illi qui prædij quod possidẽt nomine Principi ab hostibus oppugnato suo ære ad certũ temporis spatium militare tenentur. Regaliũ ius percipitur ex thesauris, syluis, venationibus, sale, metallorũ fodinis, alijsq; rebus, in quas soli principi ius est. De Hospitiorũ siue tabernarijs vectigalibus dicere operæpretium non est. In tributis ordinarijs exigendis iniustitia multis modis committitur: quando scilicet ea calamitosis temporibus; quando prius quã debentur; quando à ministris violẽtis & auaris acerbe exi-

guntur: quibus rebus fit vt e-
tiam quæ iusta sūt iniusta vi-
deantur. In extraordinarijs
multipliciter etiam peccatur:
quum scilicet ordinaria illa
in immensum augētur, quum
fusis largitionibus priuatorū
opes exhauriuntur, quum no-
ua quotidie exogitantur, &
vel vi vel fraude extorquen-
tur, quū monopolia instituun-
tur, &c. Personalis seruitus
tum cum iniustitia coniuncta
est, quādo maior militum nu-
merus scribitur quam imperij
opes ferre possint; quando plus
exigitur eo quod quisque fidu-
cia nomine debet, aut virium
ratione potest; quando auaris
ministris in prædam dati ser-

altc-

uitutem magno redimere, aut vltra tempus etiam seruire coguntur, aut ad expeditiones factionesque non necessarias vocãtur, &c. quarum rerum notitiam nos harpyis illis auicis & hirundinibus lubenter relinquimus. Regalium exactio *iniustitia fere caret, nisi Princeps insolenter & tyrannice ea vtatur. Iniustitia vero hic committetur, si noua excogitentur atq; instituantur, quod rex quidam Franciæ olim in Delphinatu non sine populi offensione & motu tentauit. Sed & ad distributiuæ iustitiæ administrationem* priuilegia *pertinent* vacationes & immuni-

tates subditis à Principe, vt perpetua essent meritorum in se testimonia concessæ. His enim si non integre vti frui liceat, sed omnes eodem iure censeantur, & ad onera vocētur: certum est, iniuriam fieri ei cui suis meritis acquisita immunitas eripitur; eleuari iudicium eius qui concessit; violari religionem & fidem eius qui iuramento firmauit; omnibus denique ad calida & abrupta consilia stimulum addi, iis præsertim in regionibus quarum incolæ non minus publicam rem quam priuatam curæ habent. Ex quibus omnibus intelligitur, quantam vim illud in Principatu siue Republica recte administran-

da habeat, vt scilicet vtilitates, honores, atque etiam onera æquabiliter distribuantur: quod Iustitiæ distributiuæ, de qua hactenus breuiter, munus est. Correctiua vero in eo versatur, vt errores omnes in vita ciuili ac commercijs quibus hominum violatur societas, tollantur atque emendentur. Errorum hi alij existunt ex contractibus mutuo consensu factis, vt in emtione & venditione, & similibus, in quibus fraus occultatur; vnde Ciuiles caussæ nascuntur. Si aperta vis interueniat, vt in furtis, homicidijs, &c. caussæ illæ dicuntur Criminales. In corrigendis eiusmodi erroribus quatuor hæc obseruanda

Correctiua iustiti. quid.

sunt, Legis qualitas, Iudicis munus, Æquitatis moderatio, Principis natura. In lege tria requiruntur, vt populi illius cui posita est, ingenijs & moribus sit consētanea, nō minus quam remedium morbo, & ægrotantis complexioni; vt que temporibus etiam sit accommodata. Vt æquabilem habeat distributionem, secundū proportionem arithmeticam. Vt quoad eius fieri potest Iudicis arbitrium tanquam fræno quodam constrictum teneat, nec exorbitare patiatur. Iudicis partes tres sunt; Intelligere quod iustum est; Amare ac Velle quod iustum est; idq́s etiam Exsecutioni demandare, &c. Sed de hic alibi fusius erit dicendi locus.

MONI-

MONITA AD EOS quibus Legationes seu Ordinaria seu extraordinaria demandantur.

COnsilium nobis est, eos quibus vel Principis vel Reipublicæ alicuius nomine Legationes siue Ordinariæ siue Extraordinariæ obeundæ sunt, paucis iisque maxime necessarijs præceptis instruere: quamuis vt verum fateamur, tota hæc res magis in fungentis dexteritate consistat, quã vlla certa doctrina aut regulis cõprehendi possit. Nos ea tantum quæ omni fere loco & tempori accommodata sunt, crassa, quod dicitur, Minerua persequemur.

Principio vt in omnibus, ita hic quoque præcipua cura pietatis ac religionis habẽda est. Operã ergo dabit Legatus, vt non Principi modo ad quẽ mittitur proceribus sed etiã toti populi

verę religionis amans videatur; nec videatur modo, verum etiam reipsa diuini Numinis cultu nihil habeat antiquius: sine cuius ope parum prospere officio suo fungetur.

Proxima cura est, vt singula re Iustitię & publicæ salutis studium præ se ferat.

Tum modestiam omnibus in suis actionibus, verbis & gestibus ostendat; ita tamẽ vt humanitatem cum decenti grauitate misceat: neq; Procerum modo & Magnatum consuetudinem expetat, sed inferioris ordinis homines, præsertim quibus Aulæ res notæ sunt, à suo accessu non excludat.

In omni sermone, Principis vel Reipublicæ apud quos agit, virtutes, potentiam, regionis præstantiam, elegantiã morum,

aliaque eiusmodi prędicet atq; extollat; ita tamen vt omnem adulationis vel vanitatis suspicionem effugiat. In ijs pręcipue parcus laudum non sit, si quæ nuper à Principe præclare gesta sint. Procerum quoq; virtuti ac fortunæ ita faueat, vt tam amari quam æstimari se sentiãt ipsi, & gaudeant.

Suspiciones omnes quacumq; in re vitet sinceræ intentionis, voluntatis optimæ, & singularis affectus erga Principem eiusque Statum indicia semper & vbique exhibendo. Quod si forte sinistri quid inciderit, ita rem totam excuset, vt Principem vel superiores suos ne minima quidem in re obstringat.

Ab omni suspicione alienus.

Si forte animaduerterit, vel tempus vel quamcunque aliam occasionem ijs rebus quas tra-

ctandas acceperat, minime fauere, dissimulet aliquamdiu: & quamuis postulata sua æquitate niti sciat, non tamen improbe rem vrgeat, sed cum industria quadam & dexteritate quatenus hoc vel illud sibi probetur, ostendat. Interim diligenter alias rationes dispiciat, quibus id quod intendit ac cupit, consequatur.

...dens.
...tiens

Quod si necesse sit dicere aliquid vel facere contra principis vel ipsius Ministrorum opinionem vel voluntatem, ita se purget, vt omnes intelligant, non sua illum sponte hoc facere, sed Superiorum mandatis obstrictũ aliter facere nō posse.

Vbi senserit quod gerit negocium ea via quam ingressus iam est confici non posse; manum de tabula aliquantisper tollat,

& me-

& meliorem præstoletur occasionem: eos interim qui opera ipsius vel auxilio aliqua in re forte opus habent & quorum opera vicissim vtilis ipsi esse potest, modis omnibus sibi deuinciat, tumque rem iterum proponat. At si futurorum officiorũ pollicitatione negocium promouendum sit, ita agat vt per syngraphã illos sibi habeat obnoxios, sed caueat ne vel seipsum vel Superiores suos, scripto maxime, obstringat.

Operã det, vt de ijs quæ vbiq; quasi fiunt aut geruntur, à fide dignis certior reddatur, tum ea quæ grata vel scitu necessaria illis esse sciuerit, Proceribus cõmunicet; addita etiã, si è re videtur, sua, sententia, vel etiã cõsilio: quo illud efficiet, vt nõ solum industrius & prudens, sed & fidelis amicus habeatur. Modos habeat sese insinuandi.

Quin etiam hac ratione facilior ac frequentior erit ipsi ad Principem aditus; & opportuna id quod agit agendi occasio. Qua in re ad multos circumquaque scribendi laborem ipse capere, nec vllis sumtibus parcere debet.

Cum aliorum Principum Legatis vel Oratoribus caute conuersetur, nec cuiquā totum se nudet, sed potius eorum quæ illi agunt negociorum arcana, (recte tamen, atq; ita ne eos offendat) rimetur: quæ vero grata esse sciuerit, primus semper nunciare studeat.

Vultum aliquando fingat.

Si quæ tractat negocia ad votum non procedant, lætum nihilominus vultum omnibus & vbique ostendat, caueatque ne vllum diffidentiæ, vel sinistræ de Principe aut Ministris eius

exhibeat indicium opinionis, Sententiam vero rogatus, vt & in omnibus alijs quæ petierint, ita illis gratificetur, vt in omnibus manifesta tam prudentiæ quam beneuolentiæ, ac summæ ad inseruiendum alacritatis documenta præbeat.

Res aulæ omnes ita peruestiget, vt sciat à quo, & quibus artibus regatur: quinã plurimum possint, qui multum; in quibus rebus illorum consistat auctoritas; quam singuli habeant prærogatiuam: vt vnicuique quod conuenit tribuat; & qua quisq; in re vtilem nauare operã possit, notum habeat. *Omnia rimetur.*

Amicos & familiares eorum quorum aliqua est apud Principem auctoritas, beneficijs qui bus potest, sibi adiungat: eisque audientibus, de patroniseorum *Amicos sibi faciat.*

honorifice loquatur, sic tamen, nihil vt dare auribus, sed since re & ex animo loqui putetur.

Verax sit. Ante omnia caueat ne in mendacio, maxime vbi res magna agitur, deprehendatur; quo vno nihil est ad euertendam omnem existimationem ac fidem efficacius. Quocirca incerta minime pro certis narrabit; nec aliorum relationibus simpliciter ad hibebit fidem, sed vel auctorem allegabit, vel si id non expediat, aliunde id ad se perlatum aut perscriptum, addet.

Quod si tale aliquid Principes sui aut Superiorum nomine exponendum sit; cuius effectus seu euentus adhuc incertus, aliter forte cadere possit; tam circumspecte ac prudenter id faciet, vt nemo fraudis eum postea merito arguere

queat. At ſi contrarius euentus excuſari plane non poſſit, omnem fraudis ſuſpicionem à Principe ſuo vel Superioribus quibus optime poterit modis remouebit; ſe vero non verbis modo, ſed etiam ipſo procedendi modo ita purgabit, vt nemo credat fraudis eum miniſtrum eſſe voluiſſe.

Nec nimium deniq; illis quibus cum agit, confidat, nec nimium diffidat. Ea eſt namque omnium humanarum rerum conditio, vt ſubinde mutentur; eaque hominum natura, vt mutatis rebus, animos ipſi mutent. Vnde fit vt quod ante difficilimum, immo impoſſibile quodammodo videbatur, facile fiat; & contra quod facilimum ac procliue, nullum exitum poſtea ſortiri poſſit.

Nec confidens, nec meticuloſus.

Monita hæc generalia sunt, vt quę pertinent ad omnes occasiones, tempora & negocia, quæ Legato alicui seu Oratori apud alios, Principis sui seu superiorum nomine tractanda sunt. Reliquum erat vt quomodo erga hos sese gerere debeat, ostenderemus; sed quia res hæc difficilis admodum est, & vix nisi ipsa tractatione cognoscitur, vt quæ magnam partem ex rerum singularium cognitione dependet:

Quomodo erga suum Principem gerere se debeat.

Pauca tantum perstringam. Principio, nihil pro certo ad Principem perscribat, quod non vel scriptura vel asseueratione fide dignorum, & ab ipso Principe æstimatorum hominum confirmare possit. Si enim res aliter se habeat, non iniuria verendum fuerit ne vel indignationem vel diffidentiam

Princi

Principis aut superiorum suorum incurrat. Quod si vel maxime integra maneat de fide ipsius opinio, non tamen leuitatis atque imprudentiæ notam effugiet.

Non temere spem faciat.

Laudabilius sibi putet plura præstare quam promittere: eoque bonam quidem spem suis faciat, nihil interim certi aut indubitati polliceatur,

Amicos habeat & circa ipsum Principem, & circa alios quorũ opera ipsi potest esse vtilis aut damnosa: vt ab illis de maximis ac minimis quibusque rebus certior fiat.

Industriæ & virtutis suæ testimonia captet.

Operam det vt Principes vel superiores non vno è loco ipsius in negocijs gerendis dexteritatem & indefessum laborem cognoscant: tum inprimis, quãta sit ipsius apud Principem ad quem missus est, omnesque

Proceres & Aulicos existimatio atque etiam hoc ipsos persuasum habere ipsum in non minore esse apud suum Principem gratia. Ad quam opinionem conciliãdam multum proderit litterarum ad ipsum à Principe missarum frequentia, quam sol liciti & fideles amici facile procurabunt.

In ijs quæ præ manibus sunt negocijs omni industria omniq; ex rerum vsu collecta prudentia vtatur, nec facile credat, nisi certis rationibus quasi in rem præsentem ducatur.

In scribendo & agendo minime perplexus sit, sed plano quasi pede incedat, ita tamen vt rebus sese accommodet, omniaq; bene distinguat; ei vero quod tutissimum fuerit proposito inhæreat, missa omni infructuosa dubitatione. Sæpe enim ab v-

nius horæ vel lucro vel iactura bonus aut malus rei successus dependet.

Omnium verborum atque actionum regulam ab oculos semper sibi propositũ habeat Principis sui vel superiorum voluntatem: ad eosq; quę inter ea noua inciderint, scribendi nullam occasionē prętermittat. Et quia dies diē plerumq; docet, & Tēpus veritatis mater est, nō incōsultum foret scribere quę temere primum sparsa, quæ deinde vera deprehensa; itemque quod hominum de ijs omnibus iudicium sit.

Principis voluntati se accommodet.

Omnia quæcunque egerit litteris consignabit, & in certa capita referet, sed breuiter ac neruose. Nec enim omnia vti dicuntur, ita chartæ illinēda sunt, sed ea tantummodo quæ ad rem maxime pertinēt: ita tamē vt nihil alicuius momēti omittatur.

Si aqua, quod dicitur hæreat, & subitaneis opus sit remedijs, non exſpectet à Principe vel Superioribus ſpeciale mandatū; ſed ſe ipſe interponat, & de ijs quæ dilationem nullam patiuntur, agere incipiat. Principem interim de omnibus certiorem faciat, eiuſque quæ acceperit mandatis obtemperet: qua ſane ratione omni ſe periculo rei male geſtæ liberabit.

In ſubitaneis quid facere debeat

Hic vero ſingulari cura & ſollicitudine opus eſt. Eoque quotidie non tantum quæ facta sūt, & quæ fiunt, perſcribet; verum etiam conſilia & ſcopos eorum quibuſcum agit, quantum perueſtigare poterit: & in primis operam dabit, vt è prçſentibus futura conijciendi velut facē quādam Principi ſiue Superioribus ſuis præferat: quamuis verum ſit, nihil certi inde concludi, ſed

conie-

coniecturam tantum aliquo modo sumi posse.

Quando feruent maxime negocia, maiori vtatur in scribendo diligentia. Tunc enim non modo quotidie, sed & omni hora, immo omni momento recentes nuncij tam eorum quæ aguntur quam de modo quo aguntur, desiderantur. Quod si noui nihil sit, sermones saltim seu discursus & iudicia hominum de euentu ac futuris rebus perscribat.

Assiduus sit in mittendis nũcijs.

Quæ ad aliorum notitiam peruenire minime velit, invsitatis characteribus (quos Ziffras vocant) perscribat. quia facile fieri potest vt litteræ in alienas manus deueniant Semper namque illud quod euenire potest eiusmodi in casibus tãquam euenturum sit, præcogitandum est.

Res

Res magni momenti duplicatis perſcribat litteris, vti fere iã moris eſt. Quod ſi in poſterioribus addere aliquid velit ea quæ primis litteris perſcripta ſunt, ſigno aliquo includat: deinde reliqua adiungat.

Quæ maxime ſcribere debeat.

Ea vero maxime ſcribet, quorum cognitionẽ à Principe maxime deſiderari nôrit; nec præſentia tantum, ſed & quæ in con iecturis ſunt poſita: quis ſit rerum in pace vel bello ſtatus: quo modo ſingula procedant: quæ conſilia agitentur, & eiuſmodi alia, quæ tanquam ferarum cubilia certis veſtigijs per ingenij ſagacitatem inueſtiganda ſunt.

In hęc autem veſtigia commode ipſum deducent ſermones cum ijs qui cõſilijs vel ipſi inter ſunt, vel cum his familiariter

con

conuersantur habiti, Sunt &alij modi, quos certas ob causas silentio hic præterimus: qui etsi sponte se nonnunquam offerant, sæpius tamē inusitata quadam industria & sollertia quærendi sunt.

Rerum caussas addat.

Nec effecta modo, verum etiā caussas singulorum quātum cognitione assequi poterit, perscribet. Quod si insignis alicuius personæ mentio facienda sit, nomen, titulos, ingenium, mores, potentiā, auctoritatem, & quæcumque ad rem ipsam melius intelligendam faciunt, non omittet.

Si animaduerterit, Principem opinionem aliquam tueri quæ infirmis admodum nitatur rationibus, sine vlla audaciæ nota, quantum ipse ab ea opinione

abſit, oſtendet, fingetque ſe cre-
dere Principē non ſerio ita ſen-
tire, ſed ſuam ſententiam alios
tentandi cauſſa proponere. Ca
ueat, ne ſuam ſententiam quaſi
inuito velle obtrudere videa
tur, ſed omne arbitriū Principi
& perſpicacioribus permittat.

In rebus arduis ſententiam ſuā
non multis verbis ſed paucis ac
ſolidis rationibus tueatur; nec
quidquid etiam ad rem facere
videbitur, aggerat. Vix enim fieri
poteſt quin inter tam multa ali-
quid ſit quod Principem offen-
dat atque alienet.

In deliberationibus præcipue
nihil præcipitet, nihil ſubito de
cernat, ſed maturitatē exſpectet,
ne vt plerumq; fieri ſolet, nimia
celeritate (quæ cōſilijs recte ini-
mica dicitur) rem omnē euertat.
Eſt enim verum illud, *Canem
properantem cæcos parere catulos*

NUCLE
US HIST
POLIT